

Q. N. 135, 6.

(X 204 4443)

U 6889

Ye  
4771

DISSERTATIO MEDICA  
DE  
**CEREVISIA**  
**SERVESTANA,**

*Quam*  
DEO T. O. M. Clementer Annuente,

PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, nec non Experientissimo,*

**DN. CONRADO PHILIPPO LIMMERO,**  
Medicinæ Doct. Ejusdemq; Facultatis, Item Phys. ac Mathes.  
in Illustr. Lyceo Anhalt. Prof. Publ. meritissimo; Acade-  
miæ Cæsareo-Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Collega  
dignissimo, nec non Reipubl. Servest. Physico or-  
dinario & Practico felicissimo,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(BAALE)

*DNO Patrono ac Promotore observantissime semper  
colendo*

Publicæ ac placidæ Eruditorum disquisitioni  
submittit

H. L. Q. S.

MELCHIOR ERNESTUS Wagnis / S. A.

Aut: & Resp:

Die vi. Octobr: ANNO M DC XCIII.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



**SERVESTÆ, EXCVDIT JOH. ERN. BEZELIUS.**



**F**AMA malum, quo non aliud velocius ullum.  
 Dejicit Illa iterum, modo quæquæ evexit in altum,  
 Sic *Servestanus Zythus*, qui laude perrenni  
 Extremos jamdum famâ pervenit ad Indos;  
 Nunc & habetur adhuc pergratum Nectar ab ipsis,  
 In propria tellure malus traducitur IPSE;  
 Evahiturque alius, quem totum obfuscat amurca.  
 Permittam, laudetur ab his, culpetur ab illis.  
 Sat, *Servestanus Potus* ratione probatur,  
 Quod bonus existat, Zytho & sit amœnior omni.  
 Hinc ex hoc cuncti medicato fonte bibatis,  
 Successumque bonum certò expectetis Amici.  
 Sinunc grata Tibi mea sunt conamina, Lector!  
 Quod ratione probem nostri Zythi bonitatem,  
 Gratulor ipse mihi, meque assensu hocce monebis  
 Tentandi majora, Deoque dieque favente.

*Errata Typographica à me notata B.L. ita emendabit ;  
 Reliqua verò non visa facile excusabit.*

§. 2. lin. 10. pro puiippe lege quippe. §. 3. lin. 25. pro cæpit lege cœpit.  
 §. 4. lin. 12. pro fœculentæ, l. fæculentæ. lin. 26. pro caufâ l. causam.  
 §. 9. lin. 16. pro Atramentatiû l. atrû. & lin. 28. p. atramētarij l. ater.  
 §. 10. lin. 24. pro Nemo l. Neminem. §. 13. lin. 4. pro cepi l. cœpi.  
 §. 18. lin. 26. pro istar l. instar. §. 21. lin. 10. pro atramentariû l. atrum.  
 Et lin. 14. pro Atramentarius l. ater. §. 29. lin. 19. deleatur sese.  
 §. 37. lin. 13. pro Manivesta, l. manifesta. §. 41. lin. 11. p. Eandē l. Eundē.  
 It: lin. 32. deleatur vocula &. It: lin. 44. deleatur vocula, uti.  
 §. 44. lin. 8. pro operiendi l. aperiendi. §. 47. lin. 20. pro fœculentæ  
 l. fæculentæ. §. 48. lin. penultima pro adferat, lege adfert.  
 In Inscriptione lin. 16. pro latus lege latus.



# DISSERTATIONIS MEDICÆ

De

## CEREVISIA SERVESTANA.

§. 1.

**I**Nter varia hujus mundi aspectabilis corpora nihil occurrit curiosius, nihilque admiratione dignius, quàm elegantissima & artificiosissima corporis humani machina & fabrica, ejusque cum Macrocosmo nexus indissolubilis & plane necessarius. Quis namque hominum vel per momētū carere potest *Aere*, qui inspiratus tāta facilitatem & utilitatem œconomix animalis largitur & affert, ut sanguinem in pulmonum vesiculis membranaceis ventilando, ejus partem non ignobilē constituat, spiritibusq; animalibus in cerebro deinceps sequestrandis aptissimam materiam præbeat? Quis porro hominum non cibos exposcit varios à Macrocosmo, quando succus gastricus ventriculi nervos pungendo in Mentem humanam ciborum appetitum introducit non prius cessantem, quàm desiderata offa eidem fuerit oblata? Quis denique mortalium non ambabus amplectitur poculum manibus, quando fibræ palatinæ & œsophageæ ob defectum lymphæ corrugantur & exsiccantur, vel spicula Salina palati membranæ nerveæ infixæ sui ablutionem postulant? Quod hominum desiderium tantum est, ut non contenti *Sitis* ablatione, maximam navarint operam variis potus generibus inveniendis & conficiendis. Hæc autem omnia quamvis Studioso Medico materias disquirendi præbeant dignissimas, elige-



re

re tamen malui Potum illum famosissimum in simulque  
utilissimum pertractandum, *Cerevisiam sc. Servestanam*.  
Absit autem aliquis existimet, me ex congenito quodam &  
tenero erga Patriam terram affectu potius, quam amore  
veritatis, hunc laborem suscipere; Quin potius unusquis-  
que sibi persuasum habeat, solum veritatis Studium pri-  
mariam causam esse, quæ me ad hoc agendum impulerit:  
quando nempe ab aliquo tempore animadverti, optimam  
& utilissimam nostram *Cerevisiam Servestanam* non tantum  
ab hominibus gulæ deditis & semper nova, licet plerumq;  
deteriora, cupientibus contemni cœpisse; Sed quod ma-  
gis mirandum, quodque sperari & credi vix potuisset, à Me-  
dicis quoque haud paucis nauci habitam fuisse, Nectaris  
nostri Servestani loco *Cerevisiam* nescio quam secundari-  
am, si cum nostra comparetur, hominibus & ægris suis sua-  
dentibus, & in nostram urbem ad sportari curantibus, sicq;  
pristinæ & avitæ ejus gloriæ non parum detrahentibus.  
Hoc autem me tanto magis male habet, quod certò persua-  
sus sum, ipsos hos Medicos ex præjudicio potius & cōmuni  
persuasione & opinione, qua *Cerevisia Servestana* ob copi-  
am Nitri, quod in se contineat, vulgo creditur nimis frigi-  
da & insalubris esse, ejus usum interdixisse, aut saltem dis-  
suasisse, quam quod illi unquam examinaverint & cognō-  
verint intrinsecam *Cerevisiæ Servestanæ* naturam atque  
essentiam, ex cujus tamen cognitione sola omne nostrum  
judicium de ejusdem utilitate vel noxa peti potest & debet.  
Huc accedit, quod aliquot Amicorum jam dudum meum  
de *Cerevisia Servestana* petiverint judicium rationale, quo-  
rum autoritas cum multum penes me valeat, non debuit  
non ipsorum voluntas mihi esse loco supremæ legis &  
mandati, ut eo promptius ipsorum postulato satisfaciendum  
esse crediderim, & de hujus Potus usu vel abusu animi mei  
sensa aperire decreverim.

§. 2. Sed

## §. 2.

Sed *Vino vendibili non opus esse hedera suspensa, fortè objiciet mihi quispiam de Cerevisia Servestana præconia instituere volenti.* Attamen sciant hi me non tam hederam, quam *judicii trutinam* in hac *Dissertatione* suspendere velle, qua constet, quas laudes, quæque vituperia jure mereatur præstantissima nostra *Cerevisia Servestana*. Nisi enim *homogulæ* suæ paulo indulgeret liberalius & fræna laxaret suis cupiditatibus indecentius, largirer facile, quod *Aqua*, ut potus simplicissimus, ita quoque sit saluberrimus; Semper *puipe* hæc scopo desiderato satisfaciet. Si enim humores in corpore nostro circuitum suum absolvunt, undique multæ partes aquosæ excernuntur. Quædam per totum corporis habitum, totamque peripheriam expulsæ sudores sensiles & insensiles constituunt; Quædam in naribus ab acido aëris transeuntis glutinosiores factæ mukum constituunt; Quædam in glandulis oculorum secretæ lachrymas; Quædam in glandulis renalibus & vesica Urinaria Urinas componunt; Unde vasa humoribus antea turgida jam flaccescunt & collabuntur. Sicuti autem hoc in omnibus partibus fit, ita in primis observatur & sentitur idem quoque in gula & œsophago, eam nempe ob causam, quia hæ partes præter fibras musculosas & glandulas etiam nerveis membranis instructæ sunt; Unde illis detumescantibus non possunt non hæ membranæ admodum tensæ aliquo modo corrugari; Quod dum spirituum animalium influxum & transitum retardat, imo impedit, Mens istum motum Spirituum animalium repulsiuum sentiens de siti extinguenda sollicitatur. Jam vero quoniam defectus lymphæ indicatur, *Aqua* hic ex asse vicesistas supplebit.

## §. 3.

Neque *Aqua* parvi æstimanda venit, quando *Sitis* oritur

tur ex abundantia crassorum humorū ductus Salivales ob-  
struentium; Quin potius illam, viscidos humores dilu-  
endo, præ omni potu maximam habere prærogativam ra-  
tione ducti asserimus. Neque minor ejus efficacia est,  
quando cibi, Salsi œsophago traduntur, Saliaq; certos in œ-  
sophago poros invenientia figuntur, in eisque hærent; Vel  
quando lymphæ in glandulis palatinis & œsophageis secre-  
ta & salibus fixis imbuta & imprægnata per evaporationem  
quasi avolat, & Salia stagnantia & fixata vel crystallifata re-  
linquit, iterum nervi istas Salium puncturas ad Mentem de-  
ferunt, quæ tandem poscit salium ablutionem. Jam ve-  
ro nullum unquam menstruum aptius est inventum ad Sa-  
lia diluenda & dissolvenda, quam Aqua, cum hæc intra po-  
ros suos ætherem tantum recondit, qui velocissime agita-  
tus particulas Salinas secum abripit & in motum concitat;  
Quod tam promte non fit alio potus genere, quod jam in  
poris suis fovet partes peregrinas. Hanc Aquæ salubrita-  
tem confirmat usus ejus antiquissimus apud veteres, qui  
inter prandendum cænantumque Aquam Calidam bibe-  
bant, quemque morem adhuc hodie observant Populi Ori-  
entaliores. Neque in Europa nostra amplius exulat Aquæ  
usus, postquam potus Herbarum Thearum Sinensium Aulis Prin-  
cipum primum, & nunc etiam civium & rusticorum fere  
casu innotescere cæpit. Imo experientia quotidiana ean-  
dem comprobat in pauperibus, qui Diætâ simpliciori con-  
tenti videntur inde saniores, jucundiores & longiores  
vitam vivere. Illi enim morbi, quibus plerique hominum  
vexantur, apud hos observantur rarissimè.

§. 40

Verum enim verò dum potus per palatum supra lin-  
guam ad œsophagum tendit, varia offendit in via nervo-  
rum filamenta, quæ cum à partibus lubricis & flexilibus A-  
quæ

quæ communis non titillentur, adeoque homines ex potu  
simplicis Aquæ nullam voluptatem perciperent, ideo inve-  
nit hominum industria varia potus genera partim in sui  
commodum, partim quoque in sui detrimentum. Inter  
hæc recenseo cuncta illa, quæ acidum vel manifestum, vel  
occultum quoddam intra poros suos abscondunt, vel  
quæ simul crassa sunt, viscida & fæculenta. Quorum Ce-  
lebriora sunt Cerevisiæ Triticeæ, Halberstadiensis, Qued-  
linburgensis &c. Cerevisiæ item crassæ & fæculentæ Hor-  
deaceæ non bene fermentatæ, uti & Mustum, Vina acido-  
austera, qualia sunt Franconica, Saxonica, Marchica, cæte-  
raque Vina Germanica ignobiliora. Quibus etiam ex  
parte accenseri possunt Vina Rhœnana & Mosellana, quam-  
vis hæc acidum magis volatile in se contineant, adeoque  
etiam in tantum non noceant, quam Vina modo memora-  
ta, multo acido crasso, fixo & austero scatentia, & ob hanc  
causam minus salubria. Inter illa recenseo, quæ Salino-  
Sulphureas volatiles partes in se continent, qualia sunt Vi-  
na Hungarica, Gallica, Italica, Hispanica & per totum or-  
bem celebratissima nostra *Cerevisia Serevestana*. De qua  
cum in præsentî Dissertatione ex professo agere decreve-  
rim, hinc ulteriores ambages declinans ad ipsam rem me  
accingam, examinaturus primum *Cerevisiæ Serevestanæ*  
ingredientia; Deinde modum eam conficiendi & co-  
quendi propositurus; Porro ex his *Cerevisiæ Serevestanæ*  
naturam & essentiã deducturus; Et ultimò tandem ejusdẽ  
usum, virtutes & laudes, vel ejusdem abusum & vituperia,  
si quæ meretur, ostensurus. Faxit autem Deus O. M. ut hæc  
omnia, quæ prolaturus sum, cedant in Sui Ipsius gloriam,  
Studiorum meorum incrementum, multorumq; ægrotan-  
tium commodum atq; salutem.

§. 5.

Ab ingredientibus, seu materia, ex qua *Cerevisia Servestana* coquitur & conficitur, initium facturus, triplicem eam deprehendo, *Aquam* scil. *Hordeum* & *Lupulum*. Quæ tria corporum genera hujus nobilissimæ *Cerevisiæ Servestanæ* partes essentielles constituunt. Fæces enim, seu potius flores alterius cujusdam *Cerevisiæ*, qui *Cerevisiæ* recenter coctæ fermentationis ergò adduntur, ut & cætera corpora inter coquendum adhiberi solita, non tam ad e-  
jus esse faciunt, quam bene esse, ut in sequentibus patebit. Inter illa autem ingredientia essentialia meritò posui primo loco *Aquam*, quia hæc cætera duo quantitate non solū superat, sed & omnium *Cerevisiarum* communissima materia existit, proindeq; diligentius consideranda est, si rationale aliquod de *Cerevisiis* quibusvis judicium ferre quispiam voluerit. Imo in examinandis *Aquarum* hujus nostræ urbis proprietatibus me oportebit esse vel propterea accuratiorem, quod quicquid perversorum judiciorū unquam latum fuit de innocenti *Cerevisia Servestana*, à prava *Aquarum Servestanarum* indole, quam supponebant, profectum fuit.

§. 6.

Ne autem videar cum vulgo absq; evidentiatione & sufficienti experientia *Aquas Servestanas*, & ex his productam *Cerevisiam* vel laudare nimium, vel vituperare indecentius, aut cum Medicis nonnullis dictatoriè aliquid adstruere, quod tamen nunquam à me perceptum fuerit, agedum beneficio experimentalis & mechanicæ *Philosophiæ Aquarum* non minus *Servestanarum*, quam reliquorum ingredientium, ex quibus nostra *Cerevisia* coquitur, naturam & essentiam intrinsecam indagare & demonstrare conabor. Hunc autem in finem tantum non ex  
omni-



omnibus fontibus seu puteis tam publicis, quam privatis celebrioribus hujus urbis, ex quibus Cerevias coquere solent, magno labore Aquas asportari curavi, variaque Experimenta cum ipsis institui, eas studiose & sollicite ponderando, odores, sapes & colores earundem attente considerando, cum variis aliis corporibus eas miscendo, evaporando, detonando &c. Per quæ experimenta cum mihi videar Aquarum Servestanarum indolem & essentiam intrinsecam satis detexisse, & à communibus jurgiis vindicasse, operæ pretium me facturum judico, si eadem candide & ordine decenti in gratiam lectoris proponam, sicque eum plenius de Aquarum harum contentis intrinsecis informem & instruam.

§. 7.

Primum itaque varias has Aquas ex variis puteis conquisitas ad *libram* revocavi & *ponderavi* circumspectius, visurus, aliqua ne in pondere differentia fortassis occurreret, ex qua Aquarum harum diversitas quædam argui & conjici posset, quæque deinceps stimuli loco mihi esset ad earum interiora tanto ardentius rimanda & eruenda. Verum in *pondere* differentiam aut nullam, aut adeo parvam observavi, ut attendi describique vix mereatur. Neque aliquod notabile discrimen ratione gravitatis advertere potui in Aqua fluviali, quæ urbem nostram alluit; Ejusdem enim cum Aquis putealibus gravitatis fuit: Ut proinde ad alia experimenta properandum & accedendum esse mihi persuaserim, si aliquid certi de interioribus Aquarum Servestanarum partibus essentialibus scire & cognoscere satagerem.

§. 8.

Quando autem Chymicos ex *Odoribus, Saporibus & Coloribus* de intrinseca corporum mixtorum constitutione,

ne, illorumque particulis sive Salinis, sive Sulphureis, sive quibuscunque aliis, plus minusque abundantibus, haud inepte judicare intellexi; Ego illorum vestigiis insistens, volui etiam Aquas Servestanas ad hancce sensuum externorum stateram expendere, priusquam ad alia experimenta procederem. *Odores* igitur Aquarum Servestanarum quod attinet, illi adeo insensiles fuerunt, ut ex iis vix quicquam certi de intrinseca earum constitutione conjicere potuerim. Hoc tamen exinde videbar mihi inferre posse, quod scil. hæ Aquæ aut parum, aut nihil Sulphuris, vel Vitrioli, vel Aluminis in se continerent; Siquidem Aquæ talibus Salibus mineralibus acido-austeris foetæ, ordinariò gravem odorem spirare solent, uti experientia testatur in *Acidulis* similibusque Aquis Medicatis. Ab *Odoribus* itaq; procedebam ad *Sapores* Aquarum Servestanarum, qui aliquin ad acquirendam cognitionem constitutionis interioris corporum mixtorum non parum conferunt. Sed deprehendi eas omnes fere *insipidas*, nisi quod illarum aliquæ Salium delitescentium notas & vestigia quædam linguæ imprimere viderentur, sicque spem facerent, fore, ut diligentiori scrutinio adhibito inventurus essem, quod desiderio meo satisfaceret; Quemadmodum etiam evaporatione harum Aquarum institutâ postmodum accidisse ex sequentibus patebit. Et cum tandem ex *Coloribus* Aquarum de interna earum indole indicia & argumenta peti possint non infirma, & hos quoque in Aquis nostris Servestanis considerare & explorare volui. Quem in finem rursus varias Aquas ex variis puteis adferri curavi, quarum tamen pleræque diaphanæ erant, omnisque coloris expertes; Nisi quod earum aliquæ ad medietatem vel amplius evaporatæ tantisper flavescere inciperent, & latitantis Sulphuris vel Vitrioli indicia primo intuitu præberent; *Quamvis*

vis deinceps hos colores luteos non tam Sulphuri vel Vitriolo in istis Aquis contentis, quam Ochrae & terrae cui-dam luteae, quam possidebant, suum ortum debere, per alia experimenta, in sequentibus indicanda, didicerim & deprehenderim.

§. 9.

Cum igitur ex *Pondere, Odoribus, Saporibus* atque *Coloribus* harum Aquarum nihil certi cognoscere possem de internis earundem proprietatibus; Nihilominus tamen ardore sciendi flagrarem, aliquane *Salia Mineralia* in Aquis Servestanis continerentur; Hinc ad alia experimenta properabam, *miscendo* scil. *Aquas* has cum variis aliis corporibus, more Chymicis etiam valde usitato, quando corporum mixtorum partes Essentiales detegere cupiunt. Primum autem, quod scire desiderabam, respiciebat *Vitriolum*, an nimirum tale fortassis in Aquis Servestanis latitaret? Quem in finem sequentia Experimenta institui. Notum scil. est ex Chymicis, quod, si *Aquae Vitriolum* aut aliquid Martis seu Ferri ab Acido quodam corrosi & soluti in se continentibus confunduntur cum Infusione Gallarum vel herbae Theae, vel terrae Catechu, protinus illae incipiant nigrescere, & atramentatium colorem induere; Uti patet, si *Vitriolum Martis* in Aqua pluvia solutum misceatur cum Aqua, in qua folia herbae Theae infusa vel cocta fuerint. Hinc etiam varias Aquas Servestanas, quales ex variis puteis nostrae urbis adportabantur, absque ulla praevia Evaporatione miscebam & confundebam cum Infusione Gallarum, herbae Theae, & terrae Catechu; Sed manebant pellucidae, neque quicquam nigredinis praeseferabant. Et cum dubitarem, annon forte nimis parva in quantitate *Vitriolum* latitet in copioso humido harum Aquarum Servestamarum, sic ut cum Alkali Gallarum vel herbae Theae nullam

B

pro-

proportionem habeat, & propterea etiam nullus color atramentarius ex Infusione harum Aquarum cum prædictorum corporum solutionibus oriri possit, volui memet hoc quoque dubio liberare, evaporando Aquas Servestanas ad medietatem usque, vel etiam ad tertiæ & quartæ tantum partis remanentiam. Quo facto eas rursus miscebam cum Infusionibus Gallarum, herbæ Theæ & terræ Catechu, spe fretus fore, ut si hæ Aquæ aliquod Vitriolum in se continerent, nunc illæ, postquã Vitriolum magis per hanc evaporationem concentratum & unitum fuisset, in horum corporum infusa & extracta necessario colorem nigrum introducturæ sint. Sed spes me fefellit. Suam enim diaphaneitatem servabant constanter Aquæ hæ mixtæ cum prædictis infusionibus. Præterea cum notum sit, quod, si alcalia terrea, uti sunt oculi Caneri, Conchæ præparatæ, & quævis alia testacea, miscentur cum aquis Vitriolaceis, in fundum præcipitetur tandem Ochra seu terra quædam lutea, volebã etiã & hoc experiri in Aquis nostris Servestanis, eumque in finem similia alcalia terrea miscebam cum ipsis tum non evaporatis, tum etiam ad medietatem, vel tertiæ, vel quartæ partis remanentiam evaporatis aquis; Sed non accidit in his ulla ochræ seu terræ luteæ præcipitatio, ut in aquis Vitriolaceis. Denique cum etiam constet, quod spiritus Urinosi volatiles, vel etiam solutiones salium fixorum, ut est Oleum Tartari per deliquium dictum, si miscentur cum aquis Vitriolaceis, nunc viridi, nunc luteo, aliquando vero rubro colore eas tingant, Aquis quoque Servestanis & non evaporatis, & aliqua sui parte evaporatis affudi hos spiritus urinosos, verum istiusmodi colores observare mihi datum non fuit. Ex quibus omnibus proinde non debui non judicare, in Aquis nostris Servestanis Vitriolum nullum contineri.

§. 10.

§. 10.

Porro ut constaret, an *Sulphur* aliquod in Aquis nostris Servestanis delitesceret, non potui melius mihi met ipsi hac in parte satisfacere, quam attendendo & examinando intimius proprietates essentielles Sulphuris. Has enim si in Aquis Servestanis non deprehenderem, utique etiam *Sulphur* iisdem non inesse tuto judicare posse mihi videbar. Primariæ autem & essentielles Sulphuris proprietates sunt (1.) Odor gravis & penetrans. (2.) Color flavus. (3.) Inflammabilitas exquisita. Quarum tamen omnium nullam in Aquis Servestanis detegere potui. *Odorem* enim Aquæ Servestanæ, sive aliqua sui parte evaporatæ, sive non evaporatæ, spirabant nullum, veluti §. 8. jamdum indicatum fuit, *Colorem flavum* licet aliquæ ex Aquis Servestanis ad medietatem vel amplius evaporatæ præ se ferrent, illum tamen non Sulphuri in Aquis his contento suum ortum debere, sed potius Ochreæ seu terræ cuidam luteæ, omni Sulphure destitutæ §. modo citato judicavi. Hocque meo in iudicio confirmatus fui, quando harum aquarum flavescens sedimentum terreum flavescens igni injectum nullum *inflammabilitatis* indicium præbuit. Quæ tamen inflammabilitas Sulphuri adeo intrinseca & essentialis proprietas est, ut statim, ubi vel minimum Sulphuris delitescit, igne accedente sese prodere soleat. Quæ omnia igitur si considerentur attentius, nemo fore arbitror, qui *aquas Servestanas Sulphure* scatere affirmabit.

§. 11.

*Alumen* an in Aquis nostris Servestanis reperiat, scire cupiens, rursus considerabam attentius. *Saporem* harum Aquarum Servestanarum, spe freris, fore, ut si *Alumen* in his Aquis latitaret, illud *austero & stiptico* seu adstringenti suo sapore statim sese proditurum esset; Quem utique effe-

ctum esse *Aluminis*, omniumque corporum de Alumine vel tantillum participantium experientia quotidiana confirmat. Sed istiusmodi saporem stipticum Aquæ nostræ Servestanæ deprehendebantur nullo modo possidere, siue gustarentur, antequam ulla earum evaporatio instituta fuerit, siue etiam explorarentur, postquam ad medietatem vel amplius evaporatæ fuissent, siue denique etiam earum sedimentum terreum linguæ admoveretur, unde merito concludebā Aquas Servestanas *Alumine* carere & destitui.

§. 12.

Postquam nec *Vitriolum*, nec *Sulphur*, nec *Alumen* in Aquis Servestanis contineri hac ratione cognovissem, animum meum adhuc torquebat communis opinio hominum, Aquis Servestanis copiosum *Nitrum* adscribentium. Hoc enim tantā cum certitudine à cunctis in hac urbe adstrui intelligebam, ut de ea re, tanquam in vulgus notissima ne vel minimum dubitari debere aut posse existiment. Quanto itaq; confidentius hoc creditur ab omnibus, tanto diligentius in hujus rei siue veritatem, siue falsitatem, inquirendum esse judicavi, ut tandem sibi constaret Veritas, communis contra persuasio cum ratione & experientia pugnans ex hominum animis evelleretur. Hunc in finem Aquas tantum non ex omnibus puteis hujus urbis, ex quibus Cerevisiam coquunt, denuo adferri curavi, earumq; successivam Evaporationem institui, visurus, quodnam sedimentum illæ essent relicturæ, quæque tandem essent ista Salia, quorum saporem in Aquis nonnullis ad medietatem vel amplius evaporatis jamdum perceperam, quique adhuc magis sese exerebat in variis harum Aquarum sedimentis. Sensim igitur & pedetentim certam variarum harum Aquarum quantitatem evaporando varia sedimenta obtinui, non tantum *Coloribus* valde discrepantia, sed &

Pon-

*Pondere & Saporibus* maxime à se invicem distincta. Alia enim & quidem plurima, albicantem & cineraceum colorem præ se ferebant; Alia lutei coloris erant; Alia obscure rubebant; Alia ad nigredinem quandam vergere videbantur. *Pondere* quoque hæc Aquarum sedimenta admodum variabant. Ex tribus enim mensuris Aquarum sedimenta mihi comparavi varia; Quorum alia ponderabant gr. xi, alia gr. xvi, alia xviii, alia scrupulum i, cum uno, duobus, iii, iv, v, vi, & xvi, granis, Alia Scrupulos duos cum aliquot granis. In paucissimis horum sedimentorum saporem percipiebam *nitrosus*; In plurimis contra omnis nitrosus sapor exulabat, manifesto argumento & indicio, in nonnullis Aquis Selvestanis *Nitrum* delitescere, plurimas vero earum eodem destitui, contra ac fert communis opinio incolarum, indifferenter omnes Aquas Selvestanas tanquam valde nitrosas adeoque insalubres damnantium.

§. 13.

Ut igitur certius cognoscerem, *Nitrumne* in omnibus Aquis Selvestanis forte reperiretur, quod in earum aliquibus sensu gustus deprehenderam, de aliis experimentis cogitare cepi, quibus vel præsentia vel absentia Nitri in his Aquis detegi posset. Quare cum ex Chymicis mihi constaret, quod *Nitrum* prunis injectum cum aliquâ explosione & remissiori fulminationis gradu accendatur & detonet, varia harum Aquarum sedimenta prunis quoque injeci, firmissime mihi persuadens, futurum esse, ut, si Nitrum verum in istis sedimentis latitaret, illud sua explosiva detonatione & accensione fulminante protinus sese proditurum esset. Nec hac mea in spe deceptus fui. Ista enim Sedimenta, in quibus sensu gustus nullum Nitrum deprehendebatur, prunis injecta ne minimum quidem indicium præbebant ullius inflammabilitatis & accensionis explosivæ & ful-

fulminantis nitrosæ ; Contra ea, in quibus *Sapor nitrosus* occurrebat, prunis imposita prompte incendebantur cum explosione & fulminatione remissiori, isti plane simillima, quam ex injecto Nitro contingere observabam. Quemadmodum autem illorum sedimentorum non detonantium numerus erat sat magnus ; Sic è contrario horum sedimentorum cum explosiva & fulminante accensione detonantium numerus erat valde parvus. Imo vix tres in tota urbe reperiuntur fontes seu putei, quorum Aquæ possident Nitrum ; Reliqui omnes eo carere constantissime deprehenduntur. Ut vel hinc manifeste constet, quam misere decepti fuerint suis in iudiciis, quotquot hætenus ex mero præiudicio & simplici fiducia, abjectaque credulitate Aquas Servestanas adeo nitrosas indifferenter pronunciarunt, ubi contra ex hætenus allatis experimentis contrarium luculentissime patet.

§. 14.

Sed his experimentis non obstantibus excipient sine dubio Cerevisiæ Coctores, *Nitriq;* Patroni, quod experientia & praxis quotidiana nihilominus testentur contrariū. Siquidem *Nitrum* copiose adhæreat lateribus vasorum tam ligneorum, quam cupreorum, in quibus Aquæ Servestanæ coquuntur & fluunt, quando Cerevisia Servestana conficitur. Sed misere falluntur suis in iudiciis, dum hæc vasorum lateribus adhærentia corpora albicantia pro *Nitro* habent, quæ tamen à *Nitro* toto celo discrepant, imo eidem opponuntur & contradistinguuntur, quæque nihil aliud sunt, quam vera *Salia alcalia*, inter coquendum crystallifata, & ab humido suo vehiculo separata, uti §. sequenti firmissimis argumentis & experimentis prolixè demonstrabitur. Ut igitur ex loquacitate non certò licet cognoscere virum Sapientem ; Sic nec ex colore albo statim iudicare



dicare debemus illud *Nitrum* esse, quod dictis vasorum lateribus adhæret. Habet quidem *Nitrum* colorem album cum *Salibus Alcalicis* communem; Sed propterea tamen *Sal Nitri* cum *Salibus alcalicis* non est confundendum, imo potius hæc *Salia* tanquam contraria probe ab invicem distinguenda. *Sal* quippe *Nitri* arte chymica intercedente acido-austero Spiritum tradit; *Salia* contra *alcalica* Spiritum suppeditant pure salsum cum priori Spiritu acido austero *Nitri* non tantum prompte effervescentem, sed & eundem enervantem & acrimoniam ejus austeram corrigentem. Quæ omnia Medici saltem nostri nosse debuissent & attentius considerare, priusquam cum ignara plebe *Nitrum* culpasset in *Aquis* & *Cerevisiis* *Servestanis*.

§. 15.

Nihil itaque ex parte examinis circa *Aquas Servestinas* hæctenus à me instituti restare videbatur, quam ut tandem inquirerem, cujus nam generis essent illa *Salia*, quæ & in *Aquis* aliqua sui parte evaporatis, & etiam in earum sedimentis gustu jamdum deprehenderam. Quem in finem varia rursus experimenta adornavi, quibus præsentia *Salium* non tantum, sed & eorum specifica natura & indoles demonstrari & potest, & solet à Chymicis. Et quidem ut scirem, an esset purum & verum *Sal Alkali*, quod in istis *Aquis* & earum sedimentis latitaret, hisce affundebam Spiritus acidus, Spiritum scil. *Nitri* & *Aquam Fortem*, & observabam hos Spiritus acidos cum istis *Aquarum* *Sedimentis* *Salinis* omnibus summopere ebullire & effervesce, more omnibus *Salibus Alcalicis* consueto; Quamvis in nonnullis sedimentis aliquid *Nitri* simul possidentibus illa effervescencia tanta non fuerit, quanta animadvertebatur in reliquis juxta §. 12. 13. & 14. Nitro destitutis. Porro cum notum mihi esset, quod *Syrupi Violarum* color cœruleus statim

tim transmutetur in colorem viridem, si eidem Salia Alca-  
lia, sive fixa, sive volatilia admiscantur; Hinc etiam Aquas  
has Servestanas maxima sui parte evaporatas, uti etiam ea-  
rum sedimenta Salina miscebam cum Syrupo Violarum &  
observabam hunc suum colorem nativum cæruleum sen-  
sim deponere & Viriditatem quandam induere, manifesto  
indicio, in his Aquis Servestanis, earumque sedimentis ve-  
rum *Sal Alkali* reperiri. Tandem etiam, cum me non fuge-  
ret, quod si Salibus Alcalibus affunditur Solutio Mercu-  
rii Sublimati, protinus aliqua suboriatur & advertatur *Præ-*  
*cipitatio*; Ego etiam Aquarum Servestanarum sedimenta  
soluta miscebam cum solutione Mercurii Sublimati, &  
observabam similem *præcipitationem*, sicque cognoscebam  
non tantum ex hoc, sed & præcedentibus experimentis,  
verum *Sal Alkali* & quidem insigni in quantitate delitescere  
in Aquis nostris Servestanis. Id quod probe notandum  
& considerandum erit à B. Lectore; Quia hæc demonstra-  
ta veritas in sequentibus pro fundamento firmissimo à me  
supponetur & assumetur, non solum ad præjudicia de noxa  
& damno Aquarum & Cerevisiæ Servestanarum ex animis  
hominum evellenda, sed & ad earundem utilitatem & bo-  
nitatem mathematica certitudine & evidentia adstruen-  
dam & stabiliendam.

§. 16.

Missis Aquis, ad secundum Cerevisiæ Servestanæ ingre-  
diens, *Hordeum* scilicet progredior, ejusdem historiam & in-  
trinsecam essentiam methodo analytica breviter quoque  
propositurus & expiscaturus. *Hordeum* autem quando de-  
fixis & attentis oculis adspicio & perlustro, triplici genere  
& ordine partium illud constare deprehendo, *Pellicula* ni-  
mirum, sive *Involucro membranofo externo*, *Medulla interio-*  
*ri albicante*, & *Germinis*. Pellicula seu Involucrum mem-  
bra-

branosum externum, quod in granis hordeaceis statim oculis nostris sese ingerit, nihil aliud est, quam contextus varius fibrillarum & vasculorum sese mutuo interfecantium, teste autopsia in granis hordei recentibus, ut pote quorum pellicula adhuc mollis & humida distinctum fibrillarum situm & ordinem facile conspiciendum præbet; Cum contra in exsiccatis granis hæc pellicula corrugetur, & natus fibrillarum situs & ordo magis oblitteretur & obscuretur. Usus hujus pellicula seu involucri membranosi est, ut partim medullæ & germi in ordine & situ suo continendis inserviat, impediaturque, quominus diffluant, sicq; & germinatio præpediatur, & medullæ quoque bonitas destruat; Partim etiam, ut per vasculosum hujus pelliculæ contextum interior medulla cum germine nutriatur & augeatur, donec tandem legitimum incrementum & medulla & germen nanciscantur.

§. 17.

*Medulla interior & albicans* granorum hordeaceorum illud ipsum est, quod cum calido menstruo aquoso veluti in tincturam quandam abit & convertitur, & à quo omnis illa vis dependet, quæ ab hordeo Cerevisiæ communicatur. Quænam vero sint partes hujus substantiæ Medullaris essentielles, optime cognoscere poterimus, si attendamus ad farinæ hordeacæ effecta vulgaria æquè ac in Medica quoque Praxi obvia. Notum scilicet est, quod farina hordeacea admistione aquæ, & tantilli fermenti acidi facile fermentetur, & insigniter intumescat. Jam vero ex Chymicis constat, & vel centenis experimentis demonstrari potest, quod primariarum fermentationum & effervescentiarum fœcunda mater sit *acidi cum Sale alcali* concursus & combinatio. Sic Spiritus Nitri acidus cum Spiritu Alcalico Salis Ammoniaci, vel Oleo Tartari per deliquium

C

su-

subito effervescit. Idem observatur fieri, si Oculis Cancri, Conchis præparatis & si affunditur idem Spiritus acidus Nitri, vel Vitrioli, vel Aqua fortis. Quibus sic sese habentibus, quis amplius dubitabit, quin fermentatio illa, quæ contingit in farina hordeacea ab admistione fermenti acidi & aquæ, suum ortum debeat interiori luctæ & pugnæ, quæ fit inter fermenti additi partes acidas & farinæ hordeacæ partes salinas alcalicas, Aquâ interea existente menstruo & vehiculo conveniente, quo hæc contraria Salia prius solvuntur & in motum fermentativum concitantur, aliàs suæ quieti non facile renunciatura; Ut vel hinc manifestissime cõstet, in *Hordei substantia medullari albicante* copiosas delitescere *particulas Salinas alcalicas*, id quod demonstrandum mihi proposueram.

§. 18.

Si quis vero hisce nondum contentus esse voluerit, en hujus veritatis adhuc aliam demonstrationem adeo evidentem, ut in animis sciendi cupidorum ne vel minimū dubium relinquere amplius possit. In Praxi nimirum Medicarationali recepta veritas est, quod Erysypelas & inflammationes partium solidarum corporis humani oriuntur à restagnantibus salibus *acido-austeris*, rigidis suis particulis earum filamenta ita distendentibus, ut periculum incurrant ruptionis, veletiam actualiter rumpantur, quo ipso partes inflammatae simul suppurantur. Hisce vero in casibus per cæcam suam experientiam didicerunt Veterani nostri Medicinæ Antistites valde prodesse farinas variorum seminum, ut sunt farina Lupinorum, Lini, Fænugræci, farina secalina & Hordeacea; Imo etiam omnia Alcalia terrea summis ab ipsis mactantur hisce in Affectibus encomiis & laudibus. Unde vel in forma pulveris, vel cataplasmatibus frequentissimè partibus inflammatis has farinas

ap-



applicant : Et quidem non sine fructu & levamine insi-  
gni ; Quamvis ignorent veram rationem & modum, quo  
hæ agant operenturque in corporis humani partibus in-  
flammati. Si autem Philosophiam & Chymiam ratio-  
nalem in subsidium vocemus, non poterit amplius hic a-  
gendi modus esse obscurus, sed sua utique radiabit luce  
splendidissima. Harum enim scientiarum adminiculo  
discimus, *Salia Acida* acutissimorum cultellorum scinden-  
tium istar efformata, corrigi & obtundi à *Salibus Alcalicis*,  
sive volatilibus, sive fixis, figura tereti præditis, ut microscopio-  
riorum fides confirmat. Id, quod hoc modo concipio fieri  
debere & posse ; Quando nempe vi ætheris subtilis partes  
*Salium acidorum* acutis & scindentibus superficieculis do-  
natæ moventur, particulisque *Salinis alcalicis* teretibus  
occurrunt, sua rigiditate istis valde resistentibus, utique il-  
larum superficieculæ acutæ & scindentibus debent frangi,  
vel ad minimum atteri & obtundi, ut amplius vim non ha-  
beant fibras partium solidarum distendendi, multo minus  
easdem actualiter rumpendi vel disseccandi ; In quo tamen  
consistit *formalis ratio inflammationis* ; Quæ proinde non  
debet non imminui, & tandem penitus cessare, si prædicto  
modo partes *Salium acidorum* à *Salinis alcalicis* fuerint  
sua in figura immutatæ. Cum itaque effectum eundem  
modo memoratis farinis seminum variorum, & in specie  
etiam farinæ hordeaceæ in curandis inflammationibus  
concedant & tribuant Medici Antiqui, quis amplius ambi-  
get, farinam hordeaceam eodem modo enervare *Salia aci-  
da*, inflammationes in corpore humano producentia, quo  
dixi & demonstravi ab aliis *Salibus Alcalicis* id fieri, & quis  
proinde in *farina seu substantia hordei medullari* multas *par-  
ticulas Salino-alcalicas* esse & contineri non affirmabit.

Q. E. D.

C 2

§. 19.

§. 19.

Sequitur nunc *Germen*, tertia pars sensibilis *hordei*, cu-  
jus natura etiam paucis describenda venit. Est autem *Ger-  
men* illa ipsa particula fusci magis coloris, quæ in anteriori  
graciliorique granorum hordeaceorum parte reperitur,  
& à medullari substantia undiquaque ambitur & cingitur,  
quæque in *germinatione hordei* variis veluti ramusculis pro-  
rumpit, totius plantæ ex istis granis nascituræ prima stami-  
na & initia sensibilia ostendens & repræsentans. A muli-  
erculis in lingua Vernacula dicitur *der Schoß/der Wachs  
oder der Röhmen*. Est autem *Germen* in granis hordea-  
ceis revera nihil aliud, quam ipsa planta hordei quoad om-  
nes partes suas primarias & essentielles jamdum delinea-  
ta existens in isto germine, veluti id experientia confirmat,  
si oculis microscopio accuratiori armatis *Germen* illud  
perlustreretur & inspiciatur. Ab hoc *germine* Cerevisiæ nulla  
vis communicatur; Siquidem in *germinatione* extra gra-  
norum hordeaceorum pelliculam & ambitum erumpit, &  
in eorundem torrefactione aufertur & separatur à granis  
sub nomine *der Röhmen*: Imo potius obest bonitati Ce-  
revisiæ, ex hordeaceis granis coquendæ. Si enim hordeum  
non bene *Germinet*, vel ipsæ mulierculæ sciunt, Cerevisiam  
bonam haud esse expectandam; Cujus rei rationem in se-  
quentibus forte dabimus. Sicut *Germen* potius considera-  
ri debeat tanquam pars, Speciei plantæ hordeaceæ propa-  
gationi & perennitati magis destinata, quam aliis usibus  
domesticis. Et hæc de Hordeo, altero Cerevisiæ *Servesta-  
næ* principio materiali, dicta sufficiant.

§. 20.

Tandem ordo dicendorum me ducit ad *Lupulum*, terti-  
um ingrediens seu principium materiale Cerevisiæ *Serve-  
stanæ*, cujus proprietates atque virtutes etiam indagandæ  
sunt,

sunt, si certum aliquod de nostra Cerevisia iudicium ferre  
voluerimus. Quanam autem sint partes essentielles *Lupu-  
li*, cognoscere poterimus, si Botanicorum & Chymicorum  
vestigii insistentes expendamus primo ejusdem *saporem*,  
deinceps etiam ejus infusum vel decoctum misceamus  
cum aliis liquoribus, veluti jam in antecedentibus à me fa-  
ctum fuit, quando Aquarum Servestanarum indolem & es-  
sentiam intrinsecam demonstrare conabar. *Lupuli sapo-  
rem* quod attinet, illum valde *amarum* esse & insignem  
quoque amarorem Cerevisiis conciliare, per experienci-  
am Sensus Gustus unicuique adeo notum est, ut oleum  
omnino perderem, si hujus rei demonstrationi vel tantil-  
lum temporis adhuc impendere vellem. Jam vero Bota-  
nici plantas varias pro majori vel minori amaritudine sua  
vel in primo, vel secundo, vel tertio, vel quarto gradu cali-  
das & siccas pronunciare solent. Hinc *Matthiolus ex Gale-  
no in Epitome de Plantis* de Absynthio, plantam admodum a-  
mara loquens, amarum, inquit, & acrum simul qualitatem  
possidet, ex calfaciens pariter est & extergens, roborans &  
desiccans, & ex acrimonia constans, quodque majori porti-  
one calidum magis est, quam frigidum; Itaque calidum  
est excessu primo, & siccum tertio: Atque succus longe,  
quam herba calidior est. Haecenus *Matthiolus*. Idem de  
*Mentha ex Galeno* hunc in modum differit; Gustu est acris,  
calidaque facultate praedita, ex tertio quadantenus excal-  
facientium ordine; Habet & in sequiddam amarum & acer-  
bum. Similia quoque praedicat de *Calamintha*, planta sat  
quoque amara, essentiali, inquiens, est tenui & calida, siccaq;  
temperie, ex tertio quodammodo ordine; Horum mani-  
festa sunt indicia partim gustu apparentia, partim experi-  
entia cognita. Gustu siquidem *acris* & palam *calida* est, ac  
paululum omnino subamari habet; Corpori autem exte-  
rius

rius admota, primum quidem valde excalfacit & mordicat, cutemque laniat, postremo etiam exulcerat. Imo de *Lupulo* quoque verba faciens idem *Matthiolus*, *Lupuli*, inquit, flores, folliculi ac radices excalfaciunt, siccant, extenuant, aperiunt, abstergunt, expurgant, sanguinem mundant &c. Ex quibus omnibus manifestissime liquet, *calidas & siccas* vario gradu & ordine à Botanicis dici Plantas, prout magis vel minus amaræ sunt. Cum autem Chymici Plantarum amaritiam & calorem rectius à particulis rigidis salinis derivent, acicularum acutissimarum more punctim in linguam nostram incidentibus; Præterea ex Plantis amarioribus plus Salis arte pyrotechnica elicere sciant & soleant, quam ex Plantis minus amaris, magisque humidis, hinc aperte discimus, & amarorem, & omnia effecta prædicta Plantarum amararum, ut sunt *calescere, abstergere, roborare, desiccare, mordicare, laniare, exulcerare, extenuare, aperire, expurgare, sanguinem mundare &c.* procedere & dependere ab illarum Sale, quo abundant: Consequenter & ipsam amaritiam *Lupuli*, ejusque vim & virtutem calefaciendi, exsiccandi, extenuandi, aperiendi, abstergendi, expurgandi, sanguinemque mundandi, ipsius particulis *Salinis* verè adscribi debere, adeoque *Lupuli* principium materiale activum unice quærendum esse in ejus copioso Sale Alcalico.

Q. E. D.

§. 21.

Si quis vero his ipsis demonstrationibus nondum acquiescere voluerit, & Solem non lucidum esse impudentius affirmare maluerit, quam præconceptæ opinioni, & contradicendi libidini suæ renunciare, enadhuc alia arma & argumenta, quibus jamdum asserta & demonstrata veritas ita confirmabitur, ut nil quicquam responsione dignum ab Adversariis amplius opponi & regeri posse sperem, mihi que



hique firmiter persvadeam. Ostensum scil. §. 9. à me fuit, quod si Salia Alcalia confundantur misceanturque cum liquidis Vitriolaceis, statim hæc nigrum & atramentarium colorem producant & excitent. Hunc in finem etiam infundebam *Lupulum* in aqua fontana, & cum hoc infuso miscebam dein Solutionem Vitrioli Martis, & statim inde exurgebat color atramentarius in hisce liquoribus mixtis. Idem contigit, quando *Lupulum* in aqua decoquebam, ejusque decoctum postea miscebam cum eadem infusione Vitrioli Martis; Protinus enim hæc solutiones colore nigro rursus tingebantur, & quidem longe saturatiori illo, qui oriebatur in simplici infuso *Lupuli*, mixto cum fluido Vitriolaceo. Cujus rei ratio sine dubio hæc est, quod Salia Alcalia per coctionem melius separentur à reliquis partibus terreis *Lupuli*, adeoque copiosiora cum aquoso menstruo unita deinceps cum particulis Vitriolaceis concurrentia non debeant non intensiorem nigredinem excitare. Cum itaque & infusum & decoctum *Lupuli* mixtum cum Solutione Vitrioli Martis eundem colorem induat, quem cernimus nasci in infusis herbarum *Theæ*, *Gallarum*, similiumque herbarum & corporum Sale Alkali abundantium, mixtis cum liquidis Vitriolaceis, quid evidentius est, quam in *Lupulo Sal Alkali* prædominari, id, quod demonstrandum mihi proposueram.

§. 22.

Et hæc sunt, quæ de Cerevisiæ Servesianæ ingredientibus, seu principiis materialibus in medium proferre constitueram, quæque primam hujus Dissertationis meæ partem absolvunt. Progredior ad Alteram ejus partem, quæ modum coquendi & conficiendi Cerevisiam Servesianam in se continet & complectitur. Antequam autem huic rei me accingo, prius muliercularum gratiam & benevo-

len-

lentiam, imo etiam veniam expeto, ut mihi illarum negotia domestica inspicienti, & ad rectæ rationis trutinam revocanti ignoscant, si quicquam hic dixero atque protulerō, quod fortassis cum ipsarum opinionibus & persuasionibus, aut etiam cum ipsarum putatitiis experiētiis non conveniat. Si vero aliqua minutissima circa modum coquendi Cerevisiam Servestanam omiserō, quæ tanquam valde necessaria ex illarum mente à me proponi & examinari debuissent, spero me hoc ipso illarum invidiam aut iram minime promeriturum; Siquidem modum coquendi & conficiendi Cerevisiam Servestanam solummodo in tantum hæc præsentī in Dissertatione proponere & describere constitui, in quantum scilicet illum judicavero facere posse ad solidiorem cognitionem interioris naturæ & essentia Cerevisiæ Servestanæ, ejusque virtutum & effectuum, quos in Corpore humano producere possit.

§. 23.

Modum coquendi conficiendique Cerevisiam Servestanam breviter ostensurus, primo loco considerandum rursus erit *Hordeum*, præ reliquis ingredientibus maximam sui præparationem postulans, antequam ejus partes cum cæteris in Cerevisiam transmutari possint. Inter illas autem Præparationes primo occurrit *Maceratio Hordei*, quæ Spatio aliquot dierum absolvitur, ubi Aquæ committitur hordeum maturum, granis præditum majoribus & egregie flavescētibus, germenque integrum intra medullam suam adhuc concludentibus. Quot autem præcise dies noctesque requirantur ad *macerationem* hordei legitimam peragendam, in specie determinari nequit; Siquidem pro diversis anni temporibus, variaque Aëris, consequenter & Aquæ, ratione Caloris & Frigoris, temperie, hoc tempus omninò variat. Tempore enim æstivo & calidiore citius hæc

*hæc hordei maceratio* absolvitur ; Tardius verò tempore hyberno & frigidiore. Cujus rei ratio hæc est, quod tempore æstivo & calidiorè æther subtilissimus rapidiori & igneo suo motu partes aquæ celerius commoveat, intraq; granorum hordeaceorum poros eas validius adigat, quo fit, ut principia activa Salina in medullari granorum substantia hætenus quiescentia, nunc in motum & actum concitentur, totaque hæc medullaris substantia intumescere & rarefcere incipiat, simulque ipsum Germen à reliquarum partium repagulis aliquo modo liberetur, ut calore novo accedente deinceps facile extra pelliculam prorumpat. Tempore contra hyberno & frigidiori ob remissiore ætheris subtilis motum non debent non hæc omnia segnius procedere & contingere, Aquæ particulis hordei grana tam promptè penetrare & subire nescientibus, consequenter nec principia activa medullaris granorum substantiæ tam cito in motum concitantibus. *Uusus & Finis* hujus *macerationis* & infusionis hordei est, ut eo facilius deinceps prorumpere possit *germen*, quod in superioribus dixi nihil conferre ad Cerevisiæ essentiam, imo potius ejus bonitati obesse, quia germen nihil aliud est, quam ipsa planta culmis & foliis suis constans. Deinde ut etiam raritas quædam introducatur in medullosam hordei substantiam, sicq; calidum menstruum aquosum eo melius partes subtiles & spirituosas Salino Sulphureas extrahere possit, quæ ipsius Cerevisiæ essentiam intrinsecam ingrediuntur atque constituunt.

*S. 24.*  
*Macerationem & infusionem hordei in aqua factã sequitur ejusdem germinatio.* Postquam enim hordeum eam humiditatem, raritatem, mollitiemque accepit in aqua, quæ judicatur ad *germinationem* necessaria esse, aqua

D

sepa-

separatur ab hordeo, hocq; cumulatim in pavimentis col-  
locatur, quo ipso incalescit, æthere subtilissimo in istis hor-  
deaceis cumulis, eorumque singulis granis, majori impetu  
suum motum prosequente, & *germen*, quod jamdum du-  
rante maceratione & infusione à reliquis partibus medul-  
laribus separari cœperat, nunc facilius prorumpit extra  
pelliculam, in plantulam hordeaceam abiturum. Ut au-  
tem hæc *germinatio* ex voto absolvatur, easque proprieta-  
tes & qualitates hordeum germinans acquirat, quæ ad bo-  
nam Cerevisiam ex eo deinceps coquendam requiruntur,  
triplicem curam mulierculæ rei Cerevisiariæ operam na-  
vantes impendere solent. Primo ut omnia grana horde-  
acea, quantum possibile, & etiam necesse est, feliciter ger-  
minent. Secundo ne nimis germinent. Tertio ne du-  
rante germinatione empyreuma & foetorem seu ranco-  
rem hordeum contrahat. Nec immerito in hordeo ger-  
minante hæc tria desiderantur. Primum enim quod at-  
tinet, quodque vult, ut omnia grana hordeacea debito mo-  
do germinent, illud certè non utile tantum est, sed & maxi-  
me necessarium requisitum. Etenim si grana hordeacea  
non germinant, hoc signum est, aut ipsum *germen* in istis  
granis corruptum esse atq; destructum, aut medullarem  
substantiam suis principiis activis, imprimis Sale suo alcali  
orbatam esse, aut macerationem & infusionem hordeum  
præcedentem vel nimiam fuisse, vel debitam minorem. U-  
troque enim modo subsequens *germinatio* impediri po-  
test. Si nimia præcessit maceratio & infusio, *germen*,  
(quod jam in antecedentibus dixi nil aliud esse, quam i-  
psam plantulam hordeaceam, trunco & ramulis seu culmis  
suis instructam donatamq;) nimis resolvitur, hoc est fibril-  
læ invisibilis plantulæ in germine nimium relaxantur, &  
ab invicem separantur, imo etiam specie aliqua putredinis  
intro-

introducā, rumpuntur; Unde non debet non *germinatio* quoque interrumpi & cessare. Imo principia activa medullaris granorum hordeaceorum substantiæ germinis eruptionem alioquin suo motu promotura, nimia hordei maceratione & infusione nimium diluuntur, hocque ipso inefficacia redduntur ad germinis protrusionem facilitandam. Si vero nimis parca fuit hordei maceratio & infusio, pori granorum hordeaceorum constrictiores manent, ipsiusq; germinis & medullaris substantiæ partes duriores & densiores esse perseverant, pertinaciusque juxta se quiescunt, quam ut aut germen emittere valeant, aut etiam suas particulas volatiles, præprimis salino-alcalicas communicare menstruo aquoso, sic ut parvam vel omnino nullam vim & virtutem nobis promittere possimus in Cerevisia ex hordeo, propter defectum sufficientis macerationis & infusionis non sat germinante,

§. 25.

Quemadmodum autem *deficiens germinatio* obest, quominus bonam Cerevisiam coquere possint ex hordeo; Sic contra nimia & *excessiva germinatio* hordei etiam culpanda est & vituperanda; Ut proinde inter conditiones legitimæ germinationis secundo loco jure ponant hanc: *Ne scil. nimis germinet hordeum.* Hordei enim germinatio cum fiat contingatque vi & virtute medullaris granorum hordeaceorum substantiæ, quatenus est sulphuræ, & imprimis Salino-alcalicæ naturæ, veluti in superioribus jam demonstratum fuit, sic ut hæc medullaris substantia sit ipsius germinis seu novæ plantulæ erumpentis primum simul nutrimentū, simili modo ac vitellus ovorum primum nutrimentum existit, quo nutritur pullus gallinaceus, quamdiu intra ovi testam concluditur; Hinc utique sequitur, quod *nimia hordei germinatio* consumat & exhauriat me-

D 2

dul-

dullarem granorum hordeaceorum substantiam, ejusque principia activa Sulphureo-Salino-alcalia; Experientia etiã constanter hoc confirmante in granis hordeaceis, ex quibus plantulæ erumpere incipiunt, utpote in quibus tandem præter solam pelliculam externam nil amplius remanet, totâ medullari eorum substantia in culmos hordeaceos abeunte. Hac medullari granorum hordeaceorum substantiâ per nimiam germinationem exhaustâ, quis ullam vim & efficaciam amplius ex tali hordeo ad Cerevisiam resultaturam esse sibi persuadebit. Huic autem nimie Hordei germinationi adeo nocivæ facile obviam ire possunt & etiam sciunt prudentiores diligentioresque Mulierculæ hordeaceos cumulos, in quibus propter majorem ætheris subtilissimi impetum, indeque secutum majorem calorem hordeum promptius & alacrius germinabat, destruendo & imminuendo, hordeumque rarius in pavimenti collocando, ut ætheri subtili calorique concedatur exitus liberior, & contra à frigidiusculo aere pori granorum hordeaceorum nimis laxati & aperti paululum constringantur & coarctentur. Quo ipso germinationem ulteriorem cessare debere evidenter concipimus.

§. 26.

Tertia conditio in Germinatione hordei observanda erat, ne hordeum germinans empyreuma & foetorem contrahat. Cujus conditionis necessitas & utilitas tanta est, ut ab ejusdem diligenti observantia vel nefanda negligentia omnis sive bonæ sive malæ Cerevisiæ productio sit derivanda. Qualem enim odorem semel germinans contraxit hordeum, talem certe saporem referet quoq; ipsa Cerevisia, testante hoc quotidiana praxi Cerevisiaria, & confirmantibus idem experimentis Chymicis in Balsamis, Tincturis, Spiritibus, similem saporem odoremque empyreumaticum spirantibus,

bus, qualem negligentia nostrā contraxerunt in prima  
præparatione species, ex quibus hæc composita extrahere  
& conficere voluimus. Sicuti autem rancorem plerumq;  
contrahit hordeū germinās, quando nimia ejus quantitas  
in majores cumulos coacta fuit & redacta, inque illis ob  
maximum ætheris subtilissimi impetum nimis incalescit,  
experientia idem fieri testante in fœno recenti & humido  
nimium incalescente; Ita facile poterunt hunc hordei  
rancorem arcere, si justo tempore hordeum cumulatim  
dispositum invertant aliquoties, ætherique subtilissimo &  
adurenti calori exitum concilient. Et hæc de *Germinatio-  
ne* hordei pro nostro scopo dicta sufficiant.

§. 27.

Hordeum, ubi jam ex voto germinavit, & aliquantisper  
ab aëre exsiccatum fuit, ulterius fornacis calore & igne  
*torrere* artis Cerevisiariæ cultores instituunt. Quo ipso  
& superflua humiditas dissipatur, & germinis culmi tenues  
& molles tantam vim ætheris subtilissimi, seu ignis & calo-  
ris sustinere nescientes primum hinc inde inflectuntur &  
exsiccantur, exsiccati tandem rumpuntur frangunturque,  
& ab ipsis granis separantur, qui sejuncti sub nomine *der  
Rühmen* pro pabulo jumentorum asservantur. Est au-  
tem hæc hordei ad ignis calorem facta exsiccatio valde ne-  
cessaria. Nisi enim superflua humiditas hac ratione prius  
dissipata fuerit, grana hordeacea deinceps in farinam ra-  
ram & volatilem moli & converti nequeunt, neq; etiam  
commoda partium volatilium Salino-alkalicarum fieri  
potest extractio ab affuso menstruo aquoso; Sic ut sæpe  
pejoris Cerevisiæ proventus negligentia & errori circa  
hordei exsiccationem commisso imputari debeat. Hinc  
est, quod hujus artis periti illam hordei exsiccationem len-  
to & moderato igne, sensimque & pedetentim fieri & pera-

gi debere non sine ratione velint & jubeant; Si enim subito & majori calore peragitur, externa granorum hordeaceorum pellicula protinus corrugatur, ejus fibrillis in cinnos resilientibus pori coarctantur & clauduntur, ut partibus humidis & aquosis in medullari illorum substantia adhuc contentis, nullus amplius concedatur exitus; Unde grana quidem in superficie & ambitu sat arida deprehendentur, medullaris vero illorum substantia mollis & glutinosa erit, manebitque, & ubi postmodum molæ committuntur, loco farinae rarioris & volatilis, viscida, glutinosa & acida pasta & massa obtinebitur, nullam vim communicans affuso menstruo calido aquoso, sed instar plumbi fundum recipientium majorum ligneorum petet, illo aquoso menstruo supernatante, & sic Cerevisia fiet tenuis, omnibusque spiritibus erit orbata; Imo difficulter transibit Cerevisia hanc massam glutinosam, & quæ adhuc transit, hoc ipso acorem contrahet. Hinc ortum habent illæ Cerevisiæ, quæ in lingua vernacula vocantur *Seu-saure Biere*. A diversis hisce ignis & caloris gradibus, quos pro suo lubitu adhibere solent mulierculæ, veletiam abrupta, vel protracta exsiccatione hordei, dependent quoque varii Cerevisiæ *Servestanæ colores*. Si enim moderato & lento igne torrefaciunt hordeum, citiusque desistunt, colorem dilucidiorum & aureum contrahit Cerevisia; Contra si vehementiori calore nimium aduritur hordeum, colorem acquirit purpureum & obscuriorem. Ab hisdem his causis procedit etiam varius Cerevisiæ *Sapor*, uti notum est illis, qui tantillum attenderunt ad ea, quæ in coctura Cerevisiæ contingere solent.

§. 28.

*Hordeum legitime tostum*, & porro ad molam delatum, cur & quâ ratione moli & in farinae cujusdam speciem teri  
de-



debeat, antequam eidem aqua calida affunditur, confidere-  
mus nunc attentius. Duplicem vero causam invenio, ob  
quam hoc fit, & fieri omnino debet. Primo quia grana hor-  
deacea, quamdiu sunt integra, minimam habent superfici-  
em, adeoque actioni menstrui aquosi calidi mox affun-  
dendi, in tantum non exponuntur, atque tunc fit, quando  
teruntur & dividuntur in minora frustula; Sic enim lon-  
ge majorem superficiem nacta magis subjiciuntur actioni  
menstrui aquosi affusi: Consequenter melior fiet parti-  
um volatilium & spirituosarum extractio. Deinde si gra-  
na hordeacea tosta, non prius molerentur & frangeren-  
tur, aquosum menstruum vix eadem subire, partesque sub-  
tiles & volatiles extrahere, sibiq; associare posset. Per  
præcedentem enim exsiccationem igne factam non tan-  
tum pori granorum valde angustati fuerunt, fibrillis nem-  
pe pelliculæ externæ ob calorem in cincinnos resilienti-  
bus; Sed etiam ipsa substantia medullaris eorundem val-  
de fuit indurata, ut nisi ejusdem divisio accedat, vix aliquã  
virtutem aquoso menstruo communicare valeat. Non  
verò sufficit, qualicumque modo hoc hordeum tostum mo-  
latur; Sed & hic committitur sæpenumerò error & culpa  
maxima, ob quam deinceps Cerevisia bona obtineri mini-  
me potest. Si enim hordeum tostum in farinam nimis  
tenuem & subtilem teritur & convertitur, accidit postmo-  
dum, ut aquoso menstruo superfuso, in pastam & massam  
farinaceam glutinosam, tenacem & spissam redigatur, quæ  
gravitate sua adfundum cadens reliquo menstruo haud  
facilem concedit transitum; Unde deficiente debita ex-  
tractione partium spirituosarum rursus inefficax procedit  
**Cerevisia.** Hinc qui suis rebus hac in parte melius con-  
sulere cupiunt, hordeum tostū grossiori modo molunt, &  
in farinam vel substantiam rariorem terunt & convertunt;  
Sic

Sic enim aquosum menstruum calidum & facilius intimos  
ejus recessus subibit, & etiam partes subtiliores & volatiles  
Sulphureo-salinas ex voto extrahet, illisque imprægnatum  
Cerevisiam optimam constituet. Quamvis etiam non ra-  
ro in eo peccent, quod hordeum tostum molendo in nimis  
raram & levem substantiam redigant; Sic ut menstruo a-  
quoso affuso deinceps instar spumæ innatet, eidemq; suam  
vim activam communicare nequeat. Media itaque via hic  
omnium erit tutissima,

§. 29.

Primarias hordei præparaciones postquam perlustra-  
vi, & pro scopi mei ratione breviter exposui, accedo rursus  
ad *Aquam*, veluti efficax menstruum, quod ex hordeo moli-  
to contusoque tincturam subtiliorem extrahit. Hujus au-  
tem cum simplex tantum præcedere debeat per aliquot  
horas continuata coctio, illa prolixam considerationem  
non merebitur. Per hanc enim aquæ coctionem non tam  
conamur immutare ejus proprietates essentielles, quod  
forte nunquam impetraremus, tamen si aqua per annum  
integrum coqueretur, quam potius in ejusdem partes no-  
vum motum & calorem introducere, ut ex hordeo molito  
& conquassato eo melius partes subtiles & spirituosas ex-  
trahere possit, imitantes hoc in passu exempla Chymico-  
rum, menstrua calida speciebus suis affudentium, ex qui-  
bus Tincturas, Essentias, Spiritus &c. elicere & destillare  
contendant, aut saltem ignem & calorem adhibentium,  
quo eadem menstrua ad sensum frigida speciebus affusa a-  
ctuentur, validiusque agitata promptius sese in istarum spe-  
clerum poros sese insinuare, desideratasque tincturas ex-  
trahere possint. Aqua itaque quoad omnes suas partes tam  
sensiles, quam insensiles, probe calefacta & vehementius  
mota dein sensim affunditur hordeo molito & contuso ea  
quan-

quantitate, ut in pulvaceam substantiam abeat; Interim continuo hæc massa invertitur & circumagitatur, ut intima fiat hujus aquosi menstrui calidi cum hordei moliti particulis singulis unio, sicque in *digestione* per aliquod tempus hæc corpora invicem mixta relinquuntur, ut hordei pori sensim referentur, ejusque partes rarefiant, & sic residuo menstruo aquoso calido, mox sed pedetentim affundendo, liberior concedatur accessus ad interiora hordei, meliorque sequatur partium subtilium extractio. Quo ipso rursus imitantur Chymicos digestionem prius exponentes species varias menstruo suo irroratas, antequam spiritus ex illis destillando eliciant.

§. 30.

Peractâ sufficienti digestionem hordei moliti cum aliqua portione aquæ calidæ affusæ sensim & pedetentim tota hæc massa ex priori majoriq; vase recipiente ligneo transfunditur in alterum vas majus recipiens ligneum, virgulis & stramine in fundo instructû, ut per hoc, veluti filtrum quoddam (non aliter ac per chartam emporeticam filtrantur & trajiciuntur à Chymicis Tincturæ & Essentiæ subtiliores, sicque à partibus crassis & terrestribus in filtro relictis separantur & purificantur) Cerevisia limpida sola transeat, filtretur, & transcoletur, super stramine relictis & detentis partibus crassioribus & pelliculis hordei moliti. Cui massæ farinacæ omnis successivè aqua calida & cocta affunditur & per idem filtrum stramineum trajicitur, constituens deinceps ipsissimam Cerevisiam, postquam in suo transitu partes spirituosas & volatiles, sulphureo-salinas alcalicas extraxit sibi que associavit. In adornando autem hoc filtro stramineo sedulos, diligentes & circumspectos esse oportet Cerevisiæ Coctores, nisi rursus pessimæ Cerevisiæ subsecuturæ autores esse & haberi velint. Duplici enim modo hic ab illis peccari solet

E

& potest

& potest. Primo si filtrum illud stramineum nimis crassum & compactum faciant; Sic enim menstruum hordeaceum aquosum, seu Cerevisia aut nulla, aut pauca admodum transibit, & quæ adhuc transit, tenuis erit & aquosa, pinguis vero & optimus liquor manebit in Recipiente. Simili prorsus ratione, qua videmus in Laboratoriis Chymicis Tincturas & Essentias pinguiusculas in filtro ex crassa densaque charta emporetica facto hæere immotas, nec ullo modo illud transire. Secundo peccatur, si è contrario filtrum stramineum nimis rarum sit, aut ex pauciori stramine construatur; Sic enim cum partibus subtilibus sulphureo salinis alcalicis simul multæ partes crassæ & terrestres idem filtrum trajiciunt, & turbidam maleque sapidam Cerevisiam constituunt. Quemadmodum etiam contingere observamus in Tincturis & Essentiis Chymicis, quæ crassæ & turbidæ evadunt, si per filtrum nimis rarum transmittantur.

§. 31.

Nil amplius nunc superest, quam ut novam hanc Cerevisiam principiis activis sulphureo salinis alcalicis imprægnatam successive affundant Lupulo, huncque per aliquot horas in vase majori cupreo cum isto pinguiusculo menstruo coquant, usque dum ex lupulo partes Salinæ alcalicæ extractæ fuerint, & cum illius partibus intimius mixtæ & unitæ. Quod ubi factum, successive Cerevisia partibus Lupuli salinis alcalicis nobilitata, in varia Recipientia lignea transfunditur. In hac autem Cerevisiæ cum Lupulo facta coctione duo consideranda sese offerunt rerum momenta. *Primum* est inæqualitas temporis & horarum, quibus Lupulus cum Cerevisia coquitur & coqui debet. Notum enim est ex Praxi Cerevisiaria, quod hæc Lupuli coctio quandoque spatio quatuor, quinque, sex, septem, octo, quandoque plurium horarum demum absolvatur.

Cujus

Cujus rei rationem duplicem deprehendo: Prima est ipsius Lupuli diversitas. Quemadmodum enim experientia quotidiana docet, quod in vegetabilibus, plantis scilicet earumque ramis, foliis, floribus, fructibus, seminibus, cæterisque partibus, admodum variare & ludere soleat natura, pro climatis, regionis & Soli, in quo crescunt, diversitate; Sic etiam & *Lupulo* idem accidit, ratione diversi climatis, regionis, & soli, in quo crescit & colitur. Sicut mirum non sit, quod Cerevisia recens eidem affusa non possit semper eodem & determinato tempore ipsum macerare, partesque Salinas alcalicas eadem facilitate extrahere, ut pote quæ ob causas allatas modo paucioribus, modo pluribus circumvolventur partibus crassis & terrestribus. Secunda ratio est quærenda in ipsa diversitate novæ Cerevisiæ, quæ *Lupulo* affunditur, ex eoque partes volatiles extrahere debet. Quemadmodum enim rursus experientia chymica testatur, quod non omnia macerentur & solvantur ab omnibus, neque cuncta indifferenter invicem uniantur, & in tincturam aliquam homogeneam abeant; Sed aquosæ species aquosum etiam requirant menstruum, quo solvantur; Sulphuræ & oleosæ species contra oleosum sulphureum postulent menstruum, quo illæ solvantur; Salinæ species tandem Salinum menstruum solvens requirant. Uti patet in *Camphora* difficulter solubili in aqua, facile verò in oleosis & sulphureis; Item in oleo & aqua difficillimè miscibilibus; Cum contra varia olea facile inter se misceantur & uniantur, aquosa etiam varia invicem confusa intimam unionem subeant admittantque; Sic etiam mirum non est, quod pro diversitate novæ Cerevisiæ, prout scilicet illa est vel tenuis & aquosior, vel pinguis & sulphurea, vel particulis salinis alcalicis copiosioribus foeta, nunc melior & facilius, nunc difficilior fiat & sequatur partium salinarum

narum alcalicarum ex Lupulo extractio. Facilius enim ex lupulo partes subtiliores extrahentur, si menstruum affusum, sive Cerevisia recens cocta fuerit pinguiuscula, & particulis Sulphureo-salinis alcalicis egregie imprægnata; Contra difficilius extrahentur, si Cerevisia nova fuerit alterius naturæ: *Secundum* rei momentum, quod in Lupuli coctione considerari meretur, in eo consistit, quod cum in aperto vase cupreo ea peragatur, multæ eaq; subtilissimæ & spirituosæ particule inter coquendum avolent, quæ sine dubio Cerevisiæ maximam vim communicare possent, si conservare easdem in potestate nostra positum esset. De qua partium subtilium discussione dubitari non potest, quandoquidem tota urbs illarum odore impletur. Quare insigne fortè commodum & utilitas maxima accederet arti Cerevisiariæ, si mechanicorum diligentia & scientia ista recipientia cuprea aliquo muniri & construi possent operculo, coctionem Lupuli non impediante, interim tamē particularum subtilium & spirituosarū discussionem prohibente.

§. 32.

*Modum coquendi Cerevisiam nostram Servestanam* pro scopi mei exigentia hucusq; consideravi; Unicum adhuc restat expendendum, *fermenti* scil: *Cerevisiarii additamentum*, quod in hac urbe mulierculis conceditum ferè officium est, & eo tempore instituitur, quo Cerevisia recens lupuli partibus Salino-alcalicis imprægnata refrigerare incipit. Quemadmodum autem vicissitudines caloris & frigoris in aëre sunt admodum variæ & inconstantes; Sic etiam Cerevisiæ recentis temperies, dicti fermenti additionem postulans, variis & incertis admodum temporibus, diebus & horis ingruit. Frigidus enim quando aër existit, citius Cerevisia recens ad illum teporem redigitur, qui fermenti admisionem requirit; Contra tardius hoc fit

fit, si aër est calidior : Sic ut certæ & universales regulæ & leges hic constitui & determinari nequeant. Dexteritas muliercularum, & quotidiana praxis & experientia hic optima est rerum agendarum magistra, norma & cynosura. Solent autem mulierculæ ordinario manibus explorare novæ Cerevisiæ temperiem, indeque iudicium ferre, tempestivumne sit, nec ne, ut fermentum addatur. Quam earum praxin & experientiam licet non rejiciam, videtur tamen illa adhuc dubiis & erroribus esse obnoxia. *Primo* quia non omnium muliercularum temperies in sanguine, consequenter nec in manibus est eadem, testante hoc quotidiana experientia & praxi medica. Unde eadem Cerevisia uno eodemq; momento à diversis mulierculis per tactum explorata, non omnibus æque calida vel æque frigida videbitur ; Sed quæ manus habent calidiores ob intrinsecam sanguinis temperiem calidam, illam Cerevisiam frigidiorum iudicabunt, quam eandem aliæ manus habentes frigidiores pronuntiabunt esse calidiorum ; Sic ut diversa inde iudicia sint processura circa fermenti additionem. *Secundo* temperies sanguinis consequenter & manuum in uno eodemque homine non semper est eadem, sed diversis temporibus variat, prout diversus est usus rerum non naturalium, uti hoc notum est illis, qui vel primis labris Scientiam Medicam degustarunt ; Unde quam varia rursus iudicia fluere debeant de Cerevisiæ temperie ex hoc experimento, & quibus proinde erroribus adhuc obnoxia esse possit fermenti additio, unusquisque facile animadvertit.

§. 33.

Quomodo autem Cerevisia recens addito fermento fermentetur, & quis huius sit fermentationis usus, paucis adhuc dicendum est. *Primum* quod attinet, introducitur in novam & recentem Cerevisiam à fermento addito motus



fermentativus, quatenus in hoc Sulphureus latitat Spiritus, qui arte chymica eductus, Aquam Vitæ maxime inflammabilem constituit, quique peregrinum & diversum in eandem introducit ætherem subtilissimum, minus convenientem sive ratione figuræ & magnitudinis, sive ratione motus, cum æthere subtilissimo, qui fluit per poros Cerevisiæ recentis, in primis particularum ejusdem Salino-alcalicarum. Unde non debet non inter utrumque hunc ætherem subtilem intestina oriri lucta & pugna, qua singulæ Cerevisiæ partes invisibiliter, attamen motu turbulento commoventur, & in omnes regiones mirum in modum agitantur & concutiuntur; Quo ipso Cerevisia intumescere debet & rarefcere. Durat autem hæc fermentatio tamdiu, donec omnes partes in uniformem motum conspirare incipiant, sicque homogeneum aliquem quoad visum liquorem constituere videantur; Reliquæ verò partes crassiores & terrestres ob majorem suam molem figurarumque irregularitatem istum velociorem motum fermentativum partium subtiliorum Cerevisiæ recentis assequi nescientes, vel ad fundum præcipitentur, vel ad latera expellantur, vel in superficiem evehantur. Ex quo ipso simul patet hujus fermentationis in nova & recenti Cerevisia institutæ usus & utilitas, quæ nulla alia est, quam ut per hunc motum fermentativum partes crassæ, terreæ & feculentæ, Cerevisiam alioquin ingrato sapore, odore & colore infecturæ, separentur à reliquis partibus subtilioribus & spirituosis Sulphureo-Salinis alcalicis & aquosis, ipsi Cerevisiæ & colorem egregium, & simul etiam odorem & saporrem gratissimum suavissimumque conciliantibus. Unde patet, quantum rei momentum quærendum sit & ponendum in hac fermentatione, utpote à cujus promotione, vel  
sup-



suppressione, vel bonæ vel malæ Cerevisiæ proventum de-  
pendere facile cognoscimus.

§. 34.

Ex hæcenus dictis & demonstratis nunc Methodo Syn-  
thetica demonstrare & cognoscere nobis datur, quænam  
sit *natura & essentia intima Cerevisiæ Servestanæ*, seu ex qui-  
bus partibus hæc constet. Cum certum scilicet sit, quod *To-  
tum* ratione suæ materiæ, ex qua constat, sequatur conditi-  
onem suarum partium, ex quibus componitur, dubitare  
non possumus, *Cerevisiam* nostram *Servestanam*, ceu *Totū*  
continere in se illa principia materialia, quæ in antece-  
dentibus percepimus esse in *Aqua, Hordeo & Lupulo*, tan-  
quam ejus *partibus integrantibus*. Jam vero in *Aquis* nostri  
*Servestanis* præter particulas tenues, oblongas, lubricas &  
flexiles, plurimas simul partes Salinas alcalicas, paucissimas  
vero Nitrosas contineri, §. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. de-  
monstravi. Ratione igitur *Aquarum*, ex quibus *Cerevisia*  
nostra *Servestana* coquitur, non debet non illa abundare  
partibus Salino-alcalicis. Et cum similes partes Salino-  
alcalicæ copiosæ, exceptis paucis oleosis Sulphureis lati-  
tent quoque in *Hordeo*, juxta §. 16. 17. 18. & 19. Nec minor ea-  
rum copia existat & reperiatur quoque in *Lupulo* per §. 20.  
& 21. Hinc utique fluit æterna hæc veritas, certitudine  
plus quam mathematica: *Quod Cerevisia Servestana con-  
stet pluribus partibus aquosis & Salinis-alcalicis, aliquibus et-  
iam Sulphureo-oleosis & terrestribus, paucissimis vero nitrosis.*  
Inter quas partes principiorum activorum titulum jure  
merentur Sulphureo-Salinæ-alcalicæ; Pro passivis vero  
principiis haberi debent partes Aquosæ & Terreæ, quam-  
vis Aquosæ partes sint illud menstruum & vehiculum, in  
quo omnes reliquæ partes natitant & continentur. Et sic  
etiam *tertiam Dissertationis meæ partem* absolvi.

§. 35.

Progredior tandem ad *partem* Ejus *quartam* & *ultimam*, in qua *Cerevisia Serevestana* usum, virtutes & laudes, vel *ejusdem* abusum & vituperia, si qua mereatur, me indicaturū & demonstraturum §. 4. promisi. Cum autem promissum cadat & abeat in debitum, ego nunc eo lubentius hoc scrutinium in me suscipiam, breviterque ostendam, vel quid boni sperandum, vel quid mali metuendum sit ab usu præstantissimæ nostræ *Cerevisiæ Serevestanæ*. Ut autem & hic aliquis dicendorum ordo observetur, *primo* inquiram, quid emolumenti vel noxæ *Cerevisiæ Serevestanæ* usus adferat primis Corporis humani viis, Ventriculo scilicet & intestinis, tanquam primariis visceribus *Chylificationi* destinatis. *Secundo* quid prosit vel noceat in Sanguine, consequenter in Corde, reliquisque partibus & visceribus *Sanguificationi* inservientibus. *Tertio* quid boni vel mali causetur eadem in Spiritibus animalibus, consequenter in Cerebro, cæterisque partibus, *Functionibus Animalibus* dicatis. *Quarto* denique & ultimo ostendam, quid commodi vel incommodi *Cerevisia Serevestana* adferat partibus & visceribus genitalibus, & procreationi Sobolis dicatis; Adeoque Sterilitatem ne causetur, an potius foecunditatem promoveat. Hic enim ille ordo est, quem ipsa Natura, si ita loqui mihi liceat, in consideratione Corporis humani, ejusque partium, sive fluidarum & contentarum, sive Solidarum & continentium, nobis commendat, injungitque. Eo itaque modo & ordine si singula præsentis rei Capita & momenta pertracta vero, & promissis meis, & officio meo plenissimè à me satisfactum fuisse, promittere mihi ausim.

Usum vel abusum *Cerevisiæ Serevestanæ* in primis viis corporis humani perlustraturus *primo* inquiram, Ventri-  
cu-

culone adeo nociva sit Cerevisia Serevestana, ut eum non tantum labefactet, & immodice refrigeret, sed & ejusdem officium, *Chylificationem* scilicet impediatur. Hoc enim est, quod vulgo affirmatur & dicitur ab omnibus illis, qui auctoritate potius & persuasionibus aliorum ducuntur, quam evidente ratione & experientia certa. Imo id ipsum quoque passim Medici affirmare non dubitant. Nec alienum ab hac sententia esse video clar; Elsholtzium, quando in diætet: p. 299. de Cerevisia Serevestana sic scribit: Die Marzbier aber / weil Sie dauern sollen / werden mit Hopffen sehr verstärket / daher seind sie gar bitter / und gehen sehr zu Urin / Kaltmagige Personen können das Herbst Bier nicht wohl ohne Wein vertragen / weil das Wasser gewisser Brunnen in Herbst / daraus man brauet / eine sonderbare Kälte und Härte in sich hat. Daher selbiges Bier bey einigen auch wohl eine strangurie zu verursachen pfleget. Sed pace tanti Viri mihi liceat aliter sentire, & dicere id, quod cum experimentis à me factis confentit. Cerevisiam scilicet Serevestanam damnant, Ventrículoq; noxiam propterea perhibent, quod nimis sit frigida, adeoq; & in ipsum Ventrículum magnum frigus inducendo Chylificationi obsit, quatenus calorem ejus nativum imminuat & sufflaminet, quo mediante tamen Chylificationem in Ventrículo fieri & peragi, constans Medicorum opinio est, qui ex *Galeni* Schola prodierunt, & cum *Aristotele* ad quatuor qualitates primas sic dictas, Calorem scilicet Frigus, Humiditatem & Siccitatem, omnia Naturæ phænomena revocare hactenus non erubuerunt. Sed infirmis admodum hi pugnant armis. Cum enim in physiologicis hodie recepta, & ab omnibus accuratioribus Medicis comprobata veritas sit, Ventrículum non chylificare, quatenus simpliciter est *calidus*, sed quatenus certum in se continet

F

men-

menstruum alimenta dissolvere, & ex iis partes subtiliores extrahere sibiq; associare valens; Hæcq; sententia multis evidentissimis experimentis facile à me demonstrari posset, nisi id jamdudum à Nobiliss: DN. Præside alibi factum fuisset aliquoties; Hinc utiq; etiam cadit consequens, quod Cerevisia Servesana nimis refrigerando Ventriculū Chylificationem illius impediat & sufflaminet. Taceo, quod falsum sit, Cerevisiam Servesanam ita frigidam esse, ut suo frigore adeo obesse queat Ventriculo. Contrariū enim satis patet ex antecedentibus. Cum autem rationibus & experimentis certissimis confici possit, liquorem gastricum, Chylificationis primarium Autorem, aquoso-Salinū esse, quis non videt, Cerevisiam nostrā Servesanam, quā in superioribus demonstravi Salinis alcalicis partibus abundare, hoc ipso maximè *Stomachicam* esse, tantumq; abesse, ut Chylificationem in Ventriculo impediat, ut potius eandem non debeat non summopere promovere, augendo scil: actuandoq; ipsum menstruum gastricum aquoso-Salinum. Imo longe salubrior erit hoc in passu Cerevisia Servesana præ Cerevisiis triticeis, Halberstadiensi, Quedlinburgensi ets: ob copiosum acidum, quod in se continent, facile acescentibus, *Cruditatemq; ventriculi Acidam* Medicis Practicis dictam facile causantibus. Quod malum certe admodum pertinax est, & Februm Quartanarum adeo rebellium causa ordinario existit. Cum contra Cerevisia Servesana istiusmodi Cruditatem ventriculi Acidam non tantum non producat, sed potius eandem corrigat, & pro Antidoto hoc in casu haberi mereatur.

§. 37.

Neq; minor Cerevisia Servesana utilitas & facultas est in corrigendo & supprimendo *Ardore Ventriculi*, qui Germanis audit *der Soth/ oder das Sothbrennen*. Cum enim

nim

enim hic oriatur à crudis & acidis humoribus in Ventriculo collectis, & ructus acido-austeros excitantibus; Veluti patet, si ejus consideremus originem & rationalem curam, quam Medici adhibere solent. Oritur enim hic dictus Ventriculi Ardor, si carnes pinguiusculas, imprimis ovillas aliquis comederit, & mox superbiberit; Vel si vina acido-austera potaverit. Curatur vero optimè Ocul: Canceri, Conchis præpar: Coralliis, Creta, similibusq; alcalicis terreis, uti & Salibus lixivis fixis & etiam Salibus volatilibus. Hinc utique manifesta adest ratio, cur Cerevisia Servestana hunc affectum tollat; Quatenus scil: suo Sale alcali copioso corrigit & enervat illud acidum austerum ventriculi, ructus acidos & arduos emittens. Non minores quoque vires obtinet Cerevisia Servestana in *Cardialgia* vulgo sic dicta, seu in dolore molestissimo Stomachi, oriundo similiter ab acido austero rodente & lancinante nervos paris vagi Stomacho implantatos, corrigendo scil: & temperando suo Sale alcali istud acidum rodens & lancinans. §. 38.

Ad intestinorum affectus quando descendimus, eorumque causas accurate examinamus & inspicimus, Cerevisiam Servestanam & in his curandis sua laude non carere deprehendemus. Servat enim primo *alvum sui memorem*, & *constipationem* ejusdem feliciter tollit, partim suis particulis tenuibus oblongis & flexilibus aqueis diluendo excrementa viscida, terrea, crassa & indurata; Partim etiam suo sale alcali laudatissimo detergendo, abstergendo & incidendo attenuandoq; humores crassos, viscidos, glutinosos & terreos; Tum deniq; etiam hoc suo Sale alcali humores intestinales acido-austeros obtundendo, corrigendo & enervando, sua austeritate & stipticitate frequenter alvum constipantes. Qui Cerevisiæ Servestanæ effectus, quanto

est evidentior tum ex dictis rationibus, tum etiam experi-  
entiâ quotidiana, tanto etiam est præstantior, & non satis  
laudandus & deprædicandus. Quemadmodum enim à  
*constipatione alvi* oriuntur bombi & molestissima tormina  
intestinarum, inflationes dolorificæ abdominis, angustia pe-  
toris, respirandi difficultas, dolores capitis, ardor & æstus  
præternaturalis, & sexcenta alia istiusmodi mala; Sic con-  
trâ naturalis alvi laxitas non tantum ab his omnibus homi-  
nem egregiè præservat, sed & totam œconomiam Corpo-  
ris humani sartam tectamq, conservat.

§. 39.

Non minor Cerevisiæ Servestanæ efficacia est in gra-  
vissimo intestinorum morbo, *Dolore* scil. *Colico* sistendo &  
supprimendo. Hoc autem rursus præstat suis particulis  
tum lubricis, oblongis & flexilibus *aqueis*, tum etiam in-  
primis suis particulis Salino-alcalicis, quatenus iisdem  
rursus diluit, corrigit, & obtundit acidum austerum humo-  
rem, in cavo intestinorum collectum, & *Colicam* producen-  
tem. Notum enim est, quod Colica tunc facile suboria-  
tur, si quis austera, aut facile fermentescibilia, ut sunt fru-  
ctus horarii, assumpserit, vel si carnes pinguiusculas, præser-  
tim ovillas, comederit, & mox superbiberit. Quæ omnia  
non alia ratione hunc morbum intestinale excitant, quâ  
austeros & lancinantes humores intestinis suppeditando.  
Hinc etiam Medici rationales optime curam doloris Colici  
instituant per Absorbentia acidumque concentrantia, e-  
nervantia, & obtudentia, qualia sunt Ocul: Caneri, Corall:  
Margaritæ, Conchæ, similiaque Testacea & alcalia terrea.  
Nihil brevitati studens jam dicam de reliquis intestinarum  
affectibus, in quibus non minus egregium Cerevisiæ Ser-  
vestanæ usum & utilitatem ostendere possem, si in re ma-  
nifesta prolixior esse vellem.

§. 40.

Pergo potius cum Chylo ad *Cor*, visurus, huic ne etiam reliquisque visceribus *Sanguificationi* inservientibus, & toti *massæ sanguineæ* utilis sit *Cerevisia* nostra *Servestana* ? Id quod affirmare nullus dubito. Neque mihi persuadeo quempiam fore, qui hoc in passu aliquem errorem jure mihi imputare possit, dummodo rite mecum expendere voluerit, seposito phantastico conceptu multorum Medicorum de *Corde* & *Cardiacis*, quid *Cor sit*, quæque esse possint & debeant vera *Cardiaca*. Nec immerito hoc postulo. Non enim in ulla re magis absurdos & obscuros esse deprehendo Medicos plurimos, quam in conceptu de *Corde* & *Cardiacis*. Contraque ego autopsia anatomica instructus velim considerari, ut verum musculum, fibris suis verè carneis motricibus oblique à base ad mucronem descendentibus, & ab hoc decussatione facta, ad basin oblique rursus ascendentibus instructum, quique à Spiritibus animalibus per nervos paris vagi influentibus eodem modo moveatur, quo moventur reliqui muscoli Corporis humani. Porro velim considerari, *Cordis*, quæ talis, morbos & affectus veros & proprios alios esse non posse, quam qui *Cordi* accidunt & accidere possunt vel *ratione suarum fibrarum*, quatenus hæ vel nimium relaxantur, vel nimium exciccantur & indurantur, vel quatenus pori inter eas existentes vel solito magis dilatantur, vel contrahuntur, vel *ratione sui motus*, quatenus hic solito fit minor, adeoque *Cordis* fibræ motricæ paralyticæ evadunt; Aut quatenus ille fit major solito, id est, Spasmodicus & convulsivus, uti fit in *Palpitatione Cordis*. Sed de his veris & propriis *Cordis* affectibus & morbis vix somniarunt Medici, qui tamen prolixos medicamentorum *Cardiacorum* catalogos nobis pandunt & exhibent. Quando autem hos affectus

Cordis cunctos, eorumque causas considero attentius, nihil in Cerevisia nostra Serevestana deprehendo, quod vel ullum illorum causari atque producere possit; Quin potius affirmare ausim Eandem esse veram panaceam contra omnes morborum horum insultus, mixturam scilicet Sanguinis & Spirituum animalium, horumque liquorum motum debitum & naturalem conservando & producendo, uti mox patebit.

§. 41.

Videamus itaque quid Cerevisia Serevestana boni vel mali causetur in *massa Sanguinea*. Inter hujus affectus & vitia hodie quam maxime à Medicis refertur *Cachexia Scorbatica*, de quâ maxime quoque in hac nostra urbe audiuntur & instituuntur querelæ, tanquam manifestissimo effectu præstantissimæ nostræ *Cerevisiæ Serevestanæ*. Labet igitur, cum videam haud paucos Medicos etiam in hoc fœdo malè fundatæ opinionis luto hæerere, paucis ad rectæ rationis lancem revocare doctrinam de Scorbuto, & deinceps considerare, Cerevisianæ Serevestanæ ejusdem causa sit, an potius efficacissimum contra eandem, ut ego quidem reor, Antidotum. *Scorbutum & Cachexiam Scorbaticam* Medicis dictam, quam omni die in omnibus fere ægris audimus crepari ab ipsis, saniores Scientiæ Asclepiadæ filii hodie ponunt in sanguinis fixitate, terrestreitate & præsertim aciditate austera; Et quidem recte. Omnia enim Scorbutorum symptomata facili negotio ex præsupposita sanguinis terrestreitate & austeritate deduci possunt. Sive enim consideres gingivas eorundem facile sanguinem fundentes, sive spontaneam corporis lassitudinem, sive dolores ejus varios, sive varia ejusdem exanthemata & maculas scorbaticas vulgo dictas, sive quæcunque alia, quibus Scorbutici obnoxii sunt, incommoda & pathemata, ea certè non ex alio



alio fonte rectius & melius derivaveris & deduxeris, quam ex sanguinis fixitate, terrestreitate & austeritate. Unde etiam accuratiores rei Medicæ Scriptores & Practici pro antiscorbuticis maximè habent & agnoscunt herbas multo sale volatili gaudentes, quales sunt v.g. Cochlearia, Beccabunga, Fumaria, Nasturtium Aquaticum, Hortense item & Indicum. Ut & Radices Cichorii, Pimpinellæ, Ari, Raphani Rustici, Semen Sinapeos, omniaque illa, quæ Salibus abundant. Hinc etiam & Sales volatiles quosvis ad eorundem classem revocant; Neque minorem vim quærunt in Absorbentibus, acidumque concentrantibus & enervantibus, v.g. Ocul: Cancræ, Corall: Margarit: Conch: similibusq; testaceis & alcalibus terreis, ut & Martialibus. Quam doctrinam & theoriam de *Scorbuto*, videntur etiam sua Praxi saltem agnoscere & confirmare semidocti Medici, iisdem remediis plerumque Cachexiam Scorbuticam impugnant, licet haud raro ex ignorantia veræ Theoriæ ipsis etiam admisceant inconvenientia, imo sæpenumerò maximè nocentia. Cum autem *Cerevisiam* nostram *Servestanam* copioso sale alcalico gaudere, acidum austerum corrigendi maximam vim habente, uti in antecedentibus jam demonstratum fuit, quis non in nobilissima nostra *Cerevisia* verum Antidotum antiscorbuticum concipiat?

§. 42.

Nec dubito, nec erubesco *Cerevisiam* nostram *Servestanam* pro vero habere *Alexipharmaco*, cujus vis maxima sit in supprimendis, arcendis, resistendis & expellendis *venenis*, massam nostram Sanguineam mirum in modum turbantibus aut coagulantibus sua austeritate, sicque paucissimis sæpe horis mortem inopinatam nobis adferentibus. Nec sine ratione hoc assero. Cum enim *Cerevisia* nostra *Servestana* ob copiosum suum salem alcalicum sit  
ma-

maxime *Diaphoretica*, eo ipso primum inter Alexipharmaca remedia locum meretur. Ut nunc non repetam, quæ jam sæpius dicta fuerunt de ejusdem Sale alcali, quo acidum austerum quodvis corrigendi & enervandi, sicque venena coagulantia sanguinem emendandi & expellendi vim maximam habet & possidet. Hinc in Febris Ardentibus, Petechialibus, Pestilentialibus, Dysenteria, aliisque contagiosis morbis *Cerevisia Servestana* verum erit Antidotum.

§. 43.

Non inferiorem quoque locum *Cerevisia* nostra *Servestana* meretur inter remedia *Splenetica* & *Hepatica*. Omnia siquidem medicamenta, quæ sub hisce titulis apud Medicos leguntur & inveniuntur, rursus talia sunt, quæ Sale abundant & vim possident corrigendi, concentrandi, absorbendi & enervandi acidum austerum. Hinc inter *Hepatica* maximè commendantur Radix Cichorii, Pimpinella, Graminis, Herba Absinthii, Agrimonix, Cochlearix, Fumarix; Item Aromata, Oculi Cancris, Corallia, Mater Feriarum, testacea & Martialia; Quæ eo ipso simul, quo acidum corrigendi vim habent, dicuntur etiam *Splenetica*. Lienem enim officinam Melancholix seu atræ bilis (quam hodie rationales Medici rectius expriment per terrestritatem & austeritatem sanguinis) concipiebant veteres Medici. Nostra igitur *Cerevisia Servestana* ratione sui salis alcali acidum austerum egregie corrigentis in massa sanguinea, optimo jure salutari potest *Spleneticum* & *Hepaticum* auxilium & remedium.

§. 44.

Ad renes & vesicam urinariam lege circulationis devoluti, & *Diureticorum*, seu Urinam cientium & pellentium vim & modum agendi considerantes, concipimus & deprehendimus rursus omnia illa sub hoc titulo à Medicis  
poni,

poni, quæ abundant sale alcali, adeoq; vim habent sanguinem viscidum & glutinosum incidendi & attenuandi, acido-austerum corrigendi & enervandi, meatusq; urinariorum referendi & operiendi. Unde hoc nomine apud Medicos veniunt Radices Asparagi, Apii, Graminis, Ononidis, Pimpinellæ. Herba item Cerefolii, Capillorum Veneris, Semen Dauci, Baccæ Juniperi, Oculi Cancris, Testæ Ovarum &c. Si igitur hæc sunt *Diuretica* vera, quemadmodum jure talia à Medicis Practicis habentur, quis dubitabit amplius *Cerevisiam* nostram *Servestanam* inter *Diuretica* referre, ipsiq; vim adscribere sciendi, & pellendi urinas? Quam virtutem etiam eidem rectè attribuisse Clariss; DN. D. Elsholtzium supra vidimus. Et eo ipso dum *Cerevisia* *Servestana* *Diuretica* est, & vim habet incidendi mucum, & corrigendi acidum austerum, aperiendiq; meatus urinariorum, simul concipitur eadem primarium locum quoq; obtinere inter medicamenta *Nephritica* & *Lithonriptica*, hoc est, Calculum renum & vesicæ impediencia vel frangencia.

§. 45.

Pergamus cum sanguine per arterias Cervicales & Carotides internas ad Caput, visuri, annon etiam inter *Cephalica* referri mereatur *Cerevisia* nostra *Servestana*? Quod equidem affirmare non dubito, quando considero à Medicis accuratioribus per *Cephalica* remedia nulla alia intelligi, quam quæ vel spirituum animalium copiam augere, vel eorundem mixturam & motum naturalem conservare possunt, vel quæ etiam nervorum tubulos apertos servant, aut obstructos referant. Jam vero *Cerevisia* *Servestana* omnia hæc egregiè præstat. Nam cum spiritus animales maximam partem consistant particulis Salinis volatilibus, utpote præ cæteris omnibus maxima elasticitate præditis; In *Cerevisia* autem *Servestana* similes partes salinas

G

pluri-

plurimas contineri supra demonstratum sit, quis non videt, *Cerevisiam Servestanam* spirituum animalium copiam augere, & hac ratione quam maxime *Cephalicam* esse. Deinde cum etiam Medici prudentiores in mixtura & motu spirituum animalium conservandis aut resuscitandis felicissimo cum successu soleant uti Salibus volatilibus, quis non concipit & hoc modō ratione sui Salis alcali *Cerevisiam Servestanam* pro summo *Cephalico* haberi debere. Porro cum in confortandis nervis eorumq; tubulis reserandis & aperiendis maxime etiam deprædicentur omnia illa, quæ Sale volatili abundant, qualia sunt Radices *Valerianæ*, *Zedoariæ*, *Galangæ*, *Herbæ Betonice*, *Lavendulæ*, *Melissæ*, *Majoranæ*, *Rosmarini*, *Rutæ*, *Salviæ*, Flores *Anthos*, *Lavendulæ*, *Liliorum convallium*, *Primulæ Veris*, *Tiliæ*, Semen *Coriandri*, *Sinapeos*, *Cubeb: Aromata*, *Succinum*, *Castoreum*, *Cranium humanum*, *Ungula Alcis*, *Ambra*, *Moschus*, omniaque *Salina volatilia*; Hinc rursus *Cerevisiam Servestanam* ad hanc classem jure meritissimo propter suum Sal alcali revocari posse nemo dubitabit. Unde etiam *Cerevisiæ Servestanæ* usus egregius esse potest in confortanda Memoria, in confirmandis & acuendis sensibus cunctis tam internis, quam externis, in sensu motuq; singularum partium promovendis, in Comate Somnolento, Caro, Lethargo, Apoplexia, Epilepsia, similibusque morbis soporosis & convulsivis arcendis & debellandis, si in Diæta præ alio potus genere *Cerevisiario* commendetur agris.

§. 46.

Ultimo deniq; *Cerevisia Servestana* optimo jure referri potest inter remedia *Confortantia partes genitales*, & intervientia procreationi Sobolis. Si enim generationis negotium paulo curatius consideramus, illud longe prom-  
tius

rius in illis procedere deprehendimus, qui abundant spiri-  
tibus animalibus, iisque acrioribus & volatilioribus; Si-  
quidem his ipsis partes genitales non tantum grato modo  
titillantur, & ad venerem invitantur, sed & ova muliebria  
feliciter iisdem impragnantur. Hinc est quod homines  
macilenti, & temperamento sanguinis præditi bilioso, hoc  
est, Salino, in matrimonio præ reliquis omnibus sint magis  
fœcundi. Imo eandem ob causam etiam ipsi Phthifici ad  
procreandam sobolem sunt maxime idonei. Hinc etiam  
Medici Practici sub titulo remediorum Uterinorum &  
Generationi inservientium nobis exhibent Radices, Her-  
bas, Floresque multo Sale abundantes, uti sunt Artemisia,  
Melissa, Pulegium, Rosmarinus, Matricaria, Lavendula etc:  
Cum autem in *Cerevisia* nostra *Servestana* similes latitent  
particulæ salinæ, partes genitales dicta ratione afficere va-  
lentes, quis non videt, eandem quoque inter Uterina &  
Procreationem Sobolis promoventia remedia esse recen-  
sendam.

§. 47.

Possem quidem *Cerevisia Servestana* usum & utilitatem  
pluribus prosequi & ostendere, nisi jam crederem id satis à  
me præstitum fuisse, & insuper metuerem, ne in integrum  
volumen excreceret hæc mea dissertatio. Ex hæctenus  
dictis & demonstratis B.L. satis cognoscit, quantum erra-  
verint illi, qui *Cerevisiam Servestanam* pronunciarunt yale-  
tudini humanæ adeo adversam esse. Itaque non dubitarem  
hic pedem figere, nisi una vel altera objectio mihi adhuc  
videretur esse solvenda. Quando enim in superioribus *Ce-  
revisia Servestana* usum & utilitatem ostendere non dubita-  
vi in *Cachexia Scorbatica* & *Calculo Renum* & *Vesica* tollen-  
dis & corrigendis, aliquis hic instare posset, quod nihilomi-  
nus experientia quotidiana doceat, Incolas nostræ urbis  
admodum obnoxios esse & Scorbuto, & etiam Calculo;

Qui uterque affectus non videatur aliunde ortum trahere quam ab usu Cerevisiæ Servestanæ. Cui objectioni duplicem responsionem oppono. Primò quod distinguendum fit inter usum Cerevisiæ recentis, bonæ, calidæ, sapidæ, non austeræ & bene fermentatæ, & inter usum Cerevisiæ Servestanæ nondum satis fermentatæ, sed crassiæ & fœculentæ, ut & frigidæ, antiquæ, corruptæ & acido-austeræ. Priorem ad dictos affectus aliquid conferre constanter nego; Posterio-rem vero posse illuc multum facere, facile concedo. Sed propterea non statim est à Cerevisia corrupta argumen- tandum ad Cerevisiam bonam, neque labe & vitium illius imputandum statim est huic. Nam sic res in suo statu naturali sanissimæ possunt tandem evadere pessimæ & noci- væ, si successu temporis corrumpantur aliamque naturam induant. *Secundò* respondeo hic rursus committi *fallaciam cause non cause*, Medicis & Philosophis non bene ratioci- nantibus adeo familiarem. Non enim sequitur statim, in- colæ urbis Servestanæ laborant maxime Scorbutis & Cal- culo, ergo Cerevisia Servestana utriusque affectus causa est. Reliquarum itaque rerum non naturalium Medicis vulgo dictarum usum vel abusum insuper considerare debemus, annon forte ex hoc resultet & oriatur tam Scorbutus, quàm etiam Calculus. Et certè si modum vivendi communem, & minoris conditionis Civibus usitatum paulo diligentius inspicio, non miror, ipsos & Scorbutis & Calculo obnoxios esse; Siquidem certis temporibus Cerevisiam recentem omnibus suis fœcibus adhuc inquinatam a vide bibunt, to- to fere anno eandem hauriunt frigidissimam, aliquot etiã mensibus circa autumnum eandem assumunt & bibunt a- cidam & austeram, quæ omnia Diætæ vitia multum con- tribuere possunt ad prædictos morbos. Taceo, quod etiam Aër noster sit frigidior & crassior, multisque effluviis acidis imprægnatus, quæ totam massam Sanguineam simili au-  
steri-

steritate inficiendi vim maximam possident. Ut nunc nihil dicam de usu pessimorum alimentorum, quibus quotidie utuntur Cives & incolæ minoris notæ, quando scilicet: carnibus & piscibus aut sale conditis, aut vento induratis vescuntur, aut quotidie etiam in deliciis habent varia olera, eaque aceto condiunt. Quæ omnia pro Scorbuti & Calculi causis evidentissimis ut summo jure haberi merentur; Sic contra Cerevisia Serevestana bona & sapida ab injuriis & diæteriis male fundatis est absolvenda.

§. 48.

Alterum quod adhuc mihi objici posset, *Nitrum* respicit, quod in superioribus aliquibus in Aquis Serevestanis, consequenter etiam in quibusdam Cerevisiis reperiri & contineri concessi. Hoc enim illud est, quod tam male audit, non tantum civibus nostræ urbis, sed etiam plurimis Medicis, & ob quod Cerevisia Serevestana putatur adeo nociva esse. Sed cum supra fuerit demonstratum, quod non nisi unus vel alter sit puteus in tota urbe, in cujus aqua aliquid Nitri latitet; Hinc utique injuriosum esset, si statim vellemus omnibus Aquis Serevestanis, omnique Cerevisiæ idem vitium imputare, quod non nisi in una vel altera reperitur. Deinde nego præsentiam Nitri in Cerevisia Serevestana adeo nocivam esse, & sanitati humanæ adversam; Quin potius Nitrum judico succum concretum esse, cujus ramenta vel spiritum in aëre obvolitantem continuo cum ipso inspiramus, quique non parvam massæ nostræ Sanguinæ utilitatem adferat. Quæ de re legi potest *Cl. DN. MAROW*, in Tr: eleganti de Sal-Nitro & Spiritu Nitro-Aëreo.

§. 49.

Hæc itaque jam sunt, B. L. quæ non cæco affectu erga Patriam, aut simplici credulitate, & persuasione, sed amore veritatis & experimentorum multiplicium vi & efficacia du-

ductus & impulsus de *Cerevisia Servestana* in medium pro-  
ferre volui. Nihil amplius superest, quam ut DBO. O. M. pro  
præstato auxilio gratias agā maximas, à Te verò petā, B. L. ut  
benevolè interpretari velis, sicubi in re tam gravi & diffici-  
li lapsus fuero. Cæterum ut aliquem quoque ex hac Dis-  
sertatione fructum percipias, animitus opto.

T A N T U M.

---

*Præstantissimo, Pietate, Morum Honestate, Ingenij Felicitate  
Insigni, Ipsis Musis Sacro,*

DOMINO MELCHIORI ERNESTO  
VVAGNISIO,

De Cerevisiâ Patriæ nunquam satis laudandâ, summa  
cum Laude publicè Disputanti.

\*

**I**mpiger Aequor arans Mercator currit ad Indos,  
Nec grave curat onus, credens se mille periculis:  
Postmodò si rursus Patrias appellit ad Oras;  
Tum grave Lætus onus jucundo Fœnore pensat,  
Depromit Gemmas, & pulchræ Pignora Mercis,  
Lætitiâque facit charos resilire Penates.  
Sic quoque, WAGNISI, Flos Nobilis inter Alumnos  
Pieridum, Medicas tractans haut segniter Artes,  
Ingenii depromis Opus, præstantius auro:  
Quod vigiles peperêre Dies, ac Ore Diserto  
Te dextrè docuit, DOCTORUM GLORIA, rectè  
De Studiis Meritus, LIMMERUS, in hocce Lyceo,

Pul.



Pulpita conscendis defensum Sorte Favente  
Hæc Theſes, Patriæ Dulcis quæ Laudibus ornant  
Nectareos Succos, quos effert Fama per Orbem.  
Misnia dum sua Torga canit Cerealia Dona;  
Sed Tantum Nomen non hæc ratione parabit.  
Venditat in Mundo Vetus Uratslavia Famam,  
Hæc sibi Splendoris Dives ratione; Sed Alma  
Vincit Honore sui Precii Cerevisia Nostra.  
Hoc Nectar viso Peregrinæ Margine Terræ  
Jam Tiberim, Rhodanumq; petit, jam Flumina Rheni.  
Hic decor Augusti Doni Natalia Terræ  
Viscera condecorat, maectatque Decoris Honore,  
A Cereris Donis ut ducant Nomen & Omen.  
Maecte Decus juvenum! Laudes extendere Doctis  
Chartis dum gestis Benedicti ritè Liquoris;  
Haut Te Degenerem præstas, Charissime, Naturam  
Dilectæ Patriæ, complesque Domestica Tecta  
Lætitiâ, Pectusq; Tui venerabile Patris.  
Primitiis Studii hisce Tuis Ego gratulor, atque  
Omnes ex Animo mecum gratantur Amici.  
Hoc Pede semper eas, pergasque Palatia Phœbi  
Visere; quo cœptum, Felici Tramite curras,  
Donec ad Optatum Finem perduxeris illa,  
Quæ radiosa ferent WAGNIS Nomen ad Astra,  
Sic Tibi Castalides cantabunt Carmina grata,  
Atque Repertor Opus Medicæ Tua Tempora Lauro  
Cin-

Cinget, Apollo; Tuis dignis Conatibus adsit,  
Et sua Dona Tibi largè concedat Ihova.

*Finit*

JOHANN-GEORGIUS MILLINGIUS. V. D. M.

---

Eheu!

Itane post nubila

Blandi Soles!

Agonizantem THEAM,

Quin tumulo jam datam,

Iugebat tantum non Univerſa tellus.

Ast jam jam

mutatur Scena;

Reviviscit enim

Fronibusque & foliis iterum luxuriat

FLORIDA THEA;

Cui

maximâ pompâ

Tristem nuper in vicinia intentabant obitum

Jurati Hostes.

Sed latus

Virescit ex orco

Divinus Flosculus:

Quo ipſo difflat

Cuncta illorum ſuperba & immatura Jubila

Totamque Atmospheram

novo atque ingenti afficit gaudio.

Miraris ?

Mirari deſine;

Ita enim juſta compeſcunt Fata,

Ante Victoriâ qui canunt Encomia.

Proinde ſalva ſis

Ex periculofa Charontis cymba

Re-

Redux THEA,  
Tibi  
Immortale Nectar  
litabimus

Quotiescunq; dulcem Tui memoriam replicare dabitur.  
Ast quid molior?

Magnam fortassè dedecoris notam inuro Patriæ,  
Tantis evehendo laudibus  
Exteram SINENSIUM Plantulam?

Sed finite quæso paululum,  
Quorum Mentès tam præcipitiâ occupant iudicia,  
Vestram, *Nobilissimi* SERVESTANI,  
Meditari felicitatem exactius,

Vestramque Gloriam,  
Qua Universo penè Orbi jam dudum inclaruistis,  
Rudiori penicillo delineare licentius.

Turpis enim profectò me haberet livor,  
Nec animus veritatis amore flagraret,  
Ipsis Sinensibus

Si non majores aut saltem pares Vos æstimarem.

Vestrum enim Nectar  
Verum est animæ purpureæ Balsamum,  
Et genuinus vitæ fons atque origo,  
Flagitas Stomachicum?

Nullum certè Ventriculo Tuo offendes Menstruum aptius  
Verbo (aut efficacius.

Quicquid vel Cardiacorum, vel Hepaticorum vel Spleneti-  
superbit Titulo (corum

In hoc veluti Centro concurrit.

Ingruit Marasmus,  
Fragili corporis tui domicilio momentaneâ minans ruinâ?  
Hic certè fœcunda præbebit tibi Ubera

H

Cere-

*Cerevisia Servestana.*

Angores ac molestia tuum miserè extorquent animum?

Hic sanè verum offendes Nepenthes,

Afflictæque Mentis perfugium atque solatium,

Verum!

Quæ sodes Præjudicia

Spurios quosdam *Artis Apollineæ* filios occuparunt?

Qui Vitalem huncce succum

Suis disuadent agris,

Non sine summo gloriae famaque Patriæ naufragio.

Fortassis verò fontica subest causa?

Immò nulla.

Tantusne frigoris Vos tenet sensus?

Qui fortassis nullibi regnat potentius,

Ac in ipsa Vestra Phantasia?

Quam (acu fortassis rem tango) periculosus invasit  
Catarrhus;

Cui certè non aliam prospicio Medicinam,

Quàm sinceram Rationis rectæ Culturam.

Quotquot verò firmiter animo secum conceperunt,

Solum Rationis rectæ adorare Oraculum,

DEO

Bonorum omnium Datori Munificentissimo,

Pro tanto beneficio

Immortales persolvent gratias;

Quo & in voto

nunc lubens

Anchoram figo.

F.

ANDREAS OTTOMAR Gödicke/

Phil: ac Med: Studios.



Q. N. 105, 6.

DISSERTATIO  
DE  
CEREVISIA  
SERVESTÆ

Quam  
DEO T. O. M. Clerico

PRÆSIDIO  
VIRO Nobilissimo, nec non

DN. CONRADO PHILIPPO  
Medicinæ Doct. Ejusdemq; Facultatis  
in Illustr. Lyceo Anhalt, Prof. Iuris  
miæ Cæsareo-Leopoldinæ Nat. Hist.  
dignissimo, nec non Reipublicæ  
dinario & Practico

DNO Patrono ac Promotore  
colendo

Publicæ ac placidæ Eruditioni  
submissit

H. L. G.

MELCHIOR ERNESTUS  
Aut: & R.

Die VI, Octobr: ANNO



SERVESTÆ, EXCVDIT

